IO. MANARDI

MEDICI FERRARIENSIS, IN ARTEM GALENI MEDICINALEM COMMENTARIVS.

GALENVS.

RES ſunt omnes doctrinæ ordini hærentes.

MANARDVS.

Procemiũ ſicut ſerè omnibus alijs, ita et huic libro Galenus pręponit: in quo omnia quæ ad exordiũ ſpectant, abunde perſoluit. Doctrinæ enim modum, eiusq; commoditatem oſtẽdens, qua in hoc libro uſurus eſt, lectores attentos, beneuolos, dociles q; reddit. Trinum igitur primo doctrinarum ordinem ſeruantium numerum proponit, ut ex earum comparatione, eius qua uti intendit, utilitatem demonſtret. Doctrinæ nomen late patet, diuerſasq; res ſignificat. Modo enim habitum animæ oſtendit, quo quis doctus dicitur, ut cum Hippocratem uel Galenum excellenti doctrina uiros extitiſſe dicimus. Quandoq; actionem ipſam, exercitiumq; docendi; ſub quo ſignificato primo libro de alimentis, optimam eſſe doctrinam Galenus dixit, quæ uiua uoce fieret: & in lib. de optima doctrina, euidentem quo ad intellectum, doctrinam eſſe, cum quis intelligens aliquid euidẽs intelligibile ad eius intellectionem obtuſiorem ſe reducit. Aliquando methodum, id eſt, uiam quandam & rationem, qua uel inuenire ea quæ occulta ſunt, uel docere alios poſſumus. uxta quem modum Peripatetici quatuor doctrinas eſſe dixerunt, definitiuã uidelicet, diuiſiuam, reſolutiuam ac demonſtratiuam; & Auerrois in naturalis auſculta-

Doctrinæ nominis uaria ſignificata.

a

tionis præfatione, ſpecies Ariſtotelicæ doctrinæ perqui ſiuit. Aliquando modum ſcribendi tradendiq́ aliquam artem, quo ultimo modo & hoc loco accepit Galenus, & in expoſitione primi Aphoriſmi, ubi declarat quæ doctrina ſit Aphoriſtica. Licet autẽ multiplices ſint docendi modi, cum tamen trifariam tantum hoc certo ordine fieri contingat, ſicuti inferius demonſtrabitur, ideo triplicem doctrinam ordinatam tantummodo eſſe hoc loco Galenus dixit. Huic autem doctrinæ reliquæ ſuperius recitatæ aliquo modo deſeruiunt. Qui enim per aliquam doctrinarũ hic à Galeno numeratarum tradere aliquã artem uoluerit, habitu animi eam teneat neceſſe eſt, ſcripturaq́, uel uoce, uel nutu id reſeret, quod mente clauſum gerit, dialecticaq́ methodo aliqua illarum quatuor, quas ſuperius numerauimus, ad ueritatem & artis theoremata utatur oſtendenda. Aequiuocatio autem hæc multiplexq́ ſignificatus huius uocis Doctrina, quæ nunc oſtenſa eſt, atq́ ſpecierum eius, quæ inferius oſtendetur, Latinos expoſitores in errorem præcipites egit, ſicuti paulò poſt demonſtrabimus. Tres ergo eſſe omnes doctrinas ordini hęrentes, id eſt, tres tantum eſſe uias modosq́, quibus cũ certo ordine doceri aliqua ars poteſt, in hac prima prooemij propoſitione uoluit Galenus. Nec putet quiſpiam, autoritate Druſiani fretus, doctrinam omnem eſſe ordinatam: addiq́ hic, ordini hærentes, non quia ſit aliqua doctrina quæ ordine careat, ſed eo modo quo dicũt medici ſpõdylos dorſi, cum tamen ſpõdyli non alibi quàm in ipſo dorſo, ut ipſe putat, reperiantur. Veritas enim eſt accidere in doctrinis quod in reliquis humanis ſolet, ut plura ſemper ſint quæ ab ordine cadunt, quàm in quibus certus ordo ſeruatur. Ex Hippocratis enim operibus uix unum reperias in quo ordo ſeruetur. Nam ut Aphoriſmos, prognoſtica, epidemias mittamus, nónne uidemus Galenum, alioqui Hippocrati deditiſſimum, in lib. de uictu

Cõtra Druſianum.

acu-

acutorum morborum, ordinem desiderantem? quem tamen nec ipse suis in commentationibus ualde obseruauit, sicuti facile innotescit ijs qui in eius lectione assidui sunt. Nolim tamen quenquam existimare, qualem cunque scribendi ordinem sufficere ad hoc, ut doctrina eo modo ordinata sit, quo nunc Galenus loquitur, sed talem in ea oportere ordinem seruari, qualem ipse tum in hoc libro, tum in libro de constitutione artis medicinalis obseruauit, libroq; primo Therapeutices qualis esset, docuit, ut scilicet exordio à certo initio sumpto, ad secundum, tertium & quartum, & ita seriatim ad uniuersa artis theoremata procedatur. Sed intelligi hæc plenè non possunt, donec tres doctrinarum species declarauerimus. Ad eas igitur accedamus.

GALENVS.

Prima quæ ex finis intellectione per resolutionem fit.

MANARDVS.

Trinarium doctrinarum propositum numerum sigillatim Galenus declarat, ut ex his eam secernat, qua in hoc opere usurus est: à resolutiua orsus, ueluti ab ea, quæ reliquas quoquo modo præcedit, quemadmodum inferius demonstrabitur. Hanc aperte satis describit, si quis bene intelligat uerba, neque ad alienum sensum trahat. Esse enim illam ait, quæ ex fine intellecto, per resolutionem gignitur. Finem enim intelligere oportet non causam ultimam, non effectum, ut inter Latinos celeberrimi putauerunt: sed finem eius artis, quam quis docere instituit. Finis enim, Aristotele teste, necessitatem imponit ijs quæ sunt ad finem: & est, ut Galenus uoluit, regula atque iudicium eorum omnium quæ in artibus pertractantur: & propterea eo intellecto, possunt per resolutionem ordine quodam reliqua ad artem spectantia inuestigari. Resolutionem

uero intelligere debebant, non demonstrationẽ quam ob rem, uel ut sit, cum Galenus nunquam inueniatur demonstrationẽ appellasse resolutionem: Græciq; tam Platonici quàm Peripatetici, resolutionem à demonstratione distinguere consueuerunt, sed ordinatũ progressum uersus principia. Analysis enim, quod nos resolutionem interpretamur, apud Græcos, Ioanne Philopono teste, proprie significat eorum qui peregre profecti sunt, in patriam reditũ: per translationemq; quandam, processum eorũ, quæ ex principijs cõstant, ad ipsa principia. Quam resolutionẽ, ut etiam dixit Arabs Galeni expositor, norunt Geometræ. Resolutionem enim appellant Geometræ, ait primo postremorũ resolutorum Philoponus, inuentionem propositionũ, per quas uera conclusio colligitur. Cui consonat eodem loco Themistius dicens: Resoluere appello, uera conclusione posita, propositiones ex quibus cõfecta sit, exquirere. Huic autem resolutioni satis similis progressus ille uidetur, à quo hæc doctrina resolutiua uocatur, proposito fine artis, beneq; intellecto, seriatim quæq; resoluendo uestigans, donec ad principia uentũ sit. Ad plura tamen alia resolutionis uocabulũ seruit, retento etiam priore significato, secundum quod uarijs rebus adnectitur. Nam & grammatici resoluere dicuntur, cum orationẽ in dictiones, in syllabas, demũ in elementa reducunt: & Dialectici, dum à particularib. ad uniuersalia ascendũt, cum definitionem inquirunt, cum syllogismum in propositiones, has in nomina & uerba, imperfectiores syllogismos ad perfectiores, demonstrationẽ ad principia, mediũq; reducunt, quod priorũ, posteriorũq; resolutiuorũ inscriptio manifestat. Naturales etiã resoluũt, dum effectus resq; cõpositas in causas referũt & simplicia, totum in partes. Sed & in actiuis scientijs, id est, moralibus, resolutiuus quidã progressus fit, dum fine proposito, media per quæ cõsequi eũ possimus, inuestigamus: quem

Resolutio.

Resoluere ad plura trasi[t] & ad oēs actus

reso-

resolutionis modũ tertio moraliũ ad Nicomachũ libro Aristoteles declarauit. In factiuis quoq; artibus resolutio quædam fit operi ipsi multum accommodata, cuius exemplum idem Aristoteles septimo de prima philosophia libro in medicina monstrauit, & Galenus in inueniendis curatiuis, ut uocant, intentionibus; quæ inueniri certè non possunt, nisi morbi singulę causæ cognitæ fuerint: non alia utitur methodo, ut aliàs demonstrauimus. Resolutionis etiam nomen tam late patet, ut alijs doctrinæ modis à nobis supra recitatis, satis apte accommodetur. Dicimus enim hominem doctrinam habere resolutã, quando quæstiones propositas facile ad principia ducendo resoluit. Eodem modo actum ipsum docendi resolutũ uocare consueuimus. Solemus & in negocijs expediendis, quæ in communi commercio hominum contingunt, nõnullos resolutos appellare, qui uidelicet rem quæ tractatur, facile ad principium operandi deducunt. Sed et ad demonstrationes nonnulli ex Latinis resolutionem applicarunt, quod Galeni expositoribus occasionem præbuit erroris, putãtibus non aliud per resolutionẽ posse intelligi, quàm demõstrationem, solumq; id cogitantibus, cui nam, ei ne, quæ quamobrem, uel ei quę ut res sit, docet, possent Galeni uerba de duabus doctrinis resolutiua et cõpositiua melius accommodare. Quod si de alia cogitassent resolutione cũ uiri fuerint alioqui ingenio præcellentes, non est credibile eos omnes in tam absurda expositione perseuerasse: præsertim cũ uiderimus Vgonẽ Senensem, lecto Galeni de cõstitutione artis medicinalis libro, quod post expositionẽ primæ partis huius libri ei contigit, statim mutasse sententiam. Sed & Caietanus Vicentinus, qui eadem ferè ætate, uel paulò post Vgonẽ claruit, proprio commentariolo, quod penes me est, ueram Galeni sententiam degustauit. Sunt tamen nonnulli tam male initiati, ut propriam adhuc hæresim nolint dimittere, sed in

Vnde natus error expositorum Galeni.

adeò aperta luce in dies magis caligant.

GALENVS.

Secunda, ex compoſitione inuentorum per reſolutionem.

MANARDVS.

Si quis recte primã intellexerit, ei non difficile fuerit ſecũdam hanc quoq; intellexiſſe. Sicuti enim Reſoluere eſt à compoſitis ad ſimplicia ire, ita Componere eſt à ſimplicibus retrogrado greſſu in cõpoſita ferri. Et quẽadmodum eam doctrinam reſolutiuam uocamus, quæ intellecto fine, cuncta ad eam requiſita certo ordine nihil prætermittendo rimatur, donec ad elementa & principia artis uentum ſit: ad eundem modum eam quæ inde exorditur, ubi illa deſinit, hoc eſt ab elementis principijsq; artis, & ad eundem finem per eadem media ſolo mutato ordine graditur, compoſitiuam. Quem doctrinæ ordinem ueluti ad docendum ualde accommodatum ſeruaſſe Ariſtoteles, tum in dialecticis, tum in naturalibus uidetur: in illis à ſimplicibus ad complexa, à primis complexis ad magis complexa, id eſt, ad ſyllogiſmos tendens: in his, id eſt naturalibus, à principijs & elementis ad magis magisq; cõpoſita ſemper accedens. Auicenna quoq; in ſuo de medicina libro, quem Canonem appellauit, & in eo quem metro compoſitum Cantica nuncupauit, & Auerrois in eo quem Colliget, fortè ab hoc procedendi ordine inſcripſit, eundem doctrinæ modum ſecuti ſunt. Quem ſi non exactiſſime ſemper ſeruaſſe uidentur (quod certe erat difficillimũ) neque ipſi calumniandi, neq; ego de mendacio notandus ſum. Sufficere enim mihi uidetur ad hoc ut aliquis liber ad certum doctrinæ genus referri poſſit, quod initium faciat illi doctrinæ accommodatũ, & ab eius modo non niſi in paucis recedat. Nemo enim tam recte recta utitur norma, quin quandoq; denormet.

Reſoluere.
Cõponere.

GALE

GALENVS.

Tertia, ex definitionis dissolutione, cui nunc innitimur. Vocare autem talem doctrinam licet, non solum definitionis dissolutionem, sed & explicationem, ut quidam nominarunt, aut resolutionem, aut diuisionem, aut, ut alteri quidam, explanationem, aut, quemadmodum alij, expositionem,

MANARDVS.

Doctrina definitiua dicitur, non quia definit, uel definitionibus utitur, uel à definitione initium sumit, sed quia artis quam doctura est, generalē definitionem præponit, quibusdam ueluti capitibus omnes artis partes continentē: quæ capita rursus in partes dissoluit, hasq́ iterum in alias: nec ab eiusmodi sectione, & membrorum declaratione desistit, donec omnia ad artē spectantia, saltem in genere declarauerit. Veluti si quis Grammaticam per hanc doctrinam tradere uoluerit, hoc uel alio non dissimili modo definiet: Grammatica est scientia literarum, syllabarū, dictionum & orationum. deinde singulas definitionis partes definiat, & in alias diuidat, ut literas in uocales, semiuocales, & mutas: syllabas in lōgas et breues, dictiōes in nomina, uerba, participia, et reliquas orationis partes: orationes, in cōgruas et incongruas: nec ab huiuscemodi diuisionibus, definitionibusq́ cesset, donec omnia ad grammaticam spectantia plenè absoluerit. Iste grammaticam per doctrinam definitiuam tradidisse dicendus est. Quare autem uocetur definitionis dissolutio, satis clarū est. Definitionem enim quæ una erat, in plura membra dissoluendo partitur. Vnde & nō immeritò explicatio nominari potest, quoniā illud quod in definitione quodāmodo implicatū erat, ut conspici & intelligi possit, explicat & extendit. Resolutio quoq́ dicitur non eodem modo, quo prima

doctrina, sed resolutio definitionis, quia definitionē ueluti totum quoddā in partes resoluit. Nam & hunc resolutionis modum inter alios suprà collocauimus. Dicitur etiam diuisio, semper subintelligendo definitionis. Nō enim est diuisio, quæ est dialectica methodus, quoniam non methodus hic, sed ordinatas doctrinas Galenus enumerat. Est autē definitionis diuisio, quoniam, ut uisum est, definitionem in partes ueluti totum quoddam diuidit. Quare uero à nōnullis explanatio, ab alijs expositio dicatur, satis ex dictis patet. Nihil enim facere aliud uidetur, quàm propositam definitionem exponere atq; explanare. Nihil tamen uetat quin in hac doctrina, sicuti & in alijs duabus, & argumētationes uariæ & diuisiones fiāt. Possunt enim sicuti Medicina, ita omnes aliæ artes & scientiæ per singulam harum trium doctrinarū perfecte etiā cum demonstrationibus tradi. Quod si Drusianus nouisset, non in tantā absurditatē iuisset, ut nihil per doctrinam definitiuā doceri asseueraret.

Diuisio.

Error Drusiani

GALENVS.

Aggressi quidem sunt nonnulli Herophilio rum talem facere doctrinam, sicuti & Heraclides Erythreus.

MANARDVS.

Proposito trinario doctrinarum ordinatarum numero, seorsumq; singulis declaratis, nūc ostendit Galenus quo pacto antiquiores medici in usu earū se habuerint, contrario priori ordine hic procedens, à definitiua uidelicet incipiens, quam ultimam superius reliquerat, quia sic cohærere melius dicta dicendis uidebantur. Satis uero planum est quod hic dicitur, nec aliam desiderat expositionem: tantum notandū est illud uerbū, Aggressi sunt, uel, ut alij uertunt, tentarunt, quod conatum potius monstrare quàm effectū uidetur. Herophilios clarum est eos dici, qui sectatores fuerunt Herophili. Fuit Hero=

Herophilij.

Herophilus patria Calcedonius, inter rationales medicos non infimus, discipulusq; Praxagoræ, ut primo Artis curatiuæ scribit Galenus: qui eum tanti fecit, ut plerunq; eius sententiam probet, & definitionẽ suam medicinę, ut infra uidebimus, inter alias elegerit, per quam artem nobis per doctrinam definitiuam traderet. Multa scripsit: sed præter libellum de pulsibus, quem olim in latinum cõuerti, nullam suarum commentationũ uidere ad hunc usq; diem licuit. Inter multos eius sectatores celeberrimus fuit Heraclides iste Erythreus: nam Heraclides alius Tarentinus, ex secta fuit Empiricorũ, ut Celsus, Galenusq; testantur.

GALENVS.

Aggressi & eam sunt, quæ secundum compositionem, ipsi quoq; Herophilij, & nonnulli ex Erasistrateis, atq; Athenæus Attaleus.

MANARDVS.

Erasistratus Chius, ipse quoq; inter rationales celeberrimus, Chrysippi discipulus, Antiocho et Ptolemęo regibus gratissimus, sæpe à Galeno, sed & ab ipso quoque Celso reprehensus, multos habuit sectatores: sicuti & hic Athenæus, numeratus inter rationales in libro qui Introductorius inscribitur, & princeps eorũ sectæ qui Pneumatici uocantur, ut scribit Galenus lib. quarto de differentijs pulsuũ. Hac doctrina usi quoq; uidentur quicunque post Galenum medicinam ordinata aliqua doctrina scribere conati sunt, sicuti Auicenna, Auerrois, Aliabas. *Erasistratus.*

GALENVS.

Nullus autem eorũ, qui ante nos fuere, eam scripsit quæ ex finis intellectione incipit doctrinam, ex qua artes omnes consistunt secundum Methodum, id est uiam cum ratione.

MANARDVS.

Satis quoq; clarũ est, si quis nostram expositionem sequatur, id quod hic Galenus dicit. Nullus enim ante Galenum inuenitur, qui medicinã per doctrinam scripserit resolutiuam: cum tamen pleriq; inueniantur, qui utroque demonstrandi genere in medicina usi sint, atq; inter reliquos Hippocrates, sicuti à Galeno ipso multis in locis, sed præcipue in libris de elemẽtis secundũ Hippocratem, & in libro de natura humana, manifeste ostenditur, ut falsus deprehendatur Arabs expositor, Petrusq; Apon. & longa Latinorũ caterua, qui ignorasse dialectica Hippoc. putauere. Nec enim uerũ est quòd in suo conciliatore scripsit Aponensis, Dialecticam scilicet Hippocratis tempore inuentam non fuisse. Paulò enim ante Platonem Hippocrates fuit, imò Platone nascente Hippocrates celebris habebatur, ut in Chronico scribit Beda. Dialectica uero eo tempore ferè perfecta erat, ut quã Zenon Eleates Parmenidis discipulus multo antea inuenerat, & Cleantes, Chrysippusq; maxime excoluerãt. Extat et adhuc Hippocratis epistola, in qua Thessalum filium ad Geometriæ & Arithmeticæ studium excitans, totam Geometriam in demonstratione cõsumi dicit. Sed de hoc aliàs latius locuti sumus, nunc reliquam textus partem declaremus: in ea expositores omnes multum hęrent. Qui enim resolutiuam doctrinam, demonstrationem quamobrem intelligunt, hi artibus quibusq; factiuis, quantumq; uilibus, usum nobilissimæ demonstrationis dare coguntur. Omnes enim artes per resolutionẽ consistere, & hoc loco, & in libro de constitutione artis medicinalis Galenus docuit. Qui uero demonstrationẽ ut sit, usum alterius demõstrationis à nobilissimis scientijs surripere. Quod fugere non nulli uolentes, in pueriles admodum inciderunt expositiones, quas non est operæprecium referre, præsertim cum uni uerbo innitãtur, quod in nostra interpreratio-

ne

ne non habetur, pro methodo rationem legentes. Recentissimi uero quidã, mihi non nisi honoris gratia nominandi, legunt quidẽ ferè ut nos, sed hanc uocem Doctrinam, in fine clausulæ non apponunt: sic enim scribunt, Neminem tamen ante nos eam quæ oritur à notione finis, scripsisse cõperimus, ex qua omnes artes uia quadam atq; ordine constituuntur. Et propterea leges grammaticales sequentes, quæ, ut dicunt, uolunt relatiuum nomen semper referre id quod proxime antecedit: relatiuũ, qua, hic positum, referre aiunt finis notionem, quæ proximior est, & non doctrinam: & Galeni sententiã esse, omnes artes constitui à notione finis, plurimumq; interesse, si sic dicatur, uel si dicatur constitui ex doctrina à notione finis inchoante. Nos qui ex fide duorum græcorũ codicum antiquissimorum transferre, ut transtulimus conati sumus, legi illi parentes (capitale enim est legibus non parêre) exponere etiam ita Galenum cogimur, ut asserat omnes artes secundum Methodum consistere per doctrinam à finis notione incipientem, quam resolutiuã uocant. Nihil tamẽ uel certe minimi referre puto, siue hoc, siue illo modo legamus, si cuti deo cõcedente, in fine procœmij ostendemus. Nũc ad alia Galeni uerba declaranda conuertamur.

GALENVS.

Sed illam quidem alibi pertransiuimus, hic autem definitiuam faciemus doctrinam.

MANARDVS.

Enumeratis declaratisq; omnibus ordinatis doctrinis, ostensoq; quomodo eis ueteres usi sunt, nunc accedit ad principale huius procœmij propositum, seligendo uidelicet eam, qua usurus est, ab alijs, atque eius dignitatem ostendendo. Primo ergo ait, se alibi illam doctrinam pertractasse, quæ per resolutionem fit, nuncq; eam se facturum pollicetur, quę definitiua uocatur. Pa=

tent autem omnia quę hic dicuntur, nisi fortè quispiam ignorauerit ubi tractauerit Galenus eam doctrinam, quam se alibi dicit pertrãsisse. In quem locũ nostri expo sitores impegerunt, putantes intelligi non certũ librum sed diuersos, in quibus demõstrationibus usus sit. Nos uero dicimus cum Arabe expositore, librũ de constitu=tione artis medicinalis intelligi, in quo & non alibi me=dicinam per doctrinam tradidit resolutiuã. Quod certe ultra Arabis expositionẽ colligi ex ipsomet Galeno po test, scribente in huius libri fine hæc uerba: Dictũ qui=dem mihi est & prius, quod est unus alius liber, in quo de constitutione artis medicinalis pertractauimus. Nul lum autem locum in hoc libro reperias, ubi uel fingere possis hoc dici, nisi hũc. Sequitur ergo, ut librum illum intellexerit, in quo doctrinam resolutiuam excutum se dicit. Hoc ergo pro constanti habentes, ad reliqua ac=cedamus.

GALENVS.

Quantum enim deficit ab ea quæ per resolu tionem, & dignitate, & methodo, tantum abun dantem inueniemus ad totius cõprehẽsionem, particulariumq; memoriam.

MANARDVS.

Priuilegia, atque (ut ita dixerim) pontificia doctrinæ huius definitiuæ hic ostendit, ut uel ex hoc ipsos lecto=res reddat ad eam capessendã auiditores, locumq; quen dam in legentium mentibus sibi paret (quod procœmij officium est) ad futuram orationem: ostendensq; tam=etsi uincatur à resolutiua dignitate & methodo, uincit tamen eam quia ad totius comprehensionem particula riũq; memoriã locupletius deseruit. Resolutiuæ digni=tatẽ, & methodi excellentiã nõ probat, sed quasi illi con donat: quod nos tamẽ infra examinabimus. Sed quod ad definitiuæ priuilegia attinet, statim declarat dicens:

GALE

GALENVS.

Facile enim memorabilia ſatis ſunt omnia ex definitionis diſſolutione, eo quod totius artis in ſeipſa capita cõtineat bona definitio, quã nonnulli & ſubſtantialem nominant, è contrario diuiſam his quæ intellectuales appellantur. Hæ enim ab his quæ accidũt rebus, quas definiunt, illæ ab ipſa ſubſtantia habent conſiſtentiam.

Bona definitio

Duplex definitio

MANARDVS.

Duas quidem doctrinæ definitiuæ præeminentias propoſuit, ſed quarũ una ex altera pendet. Ex eo enim quod bona definitio omnia in ſeipſa artis capita comprehendit, faciliusq; eſt unum quàm plura menti commendaſſe, ſequitur ut facilius per hanc doctrinam quæ omnia capita in una definitione cõplectitur, quàm per reliquas duas, quæ hac carent comprehenſione, omnia memoriæ ualeãt commendari. Appellauit autem hanc doctrinam definitionis diſſolutionem, ſicuti & in principio, ob cauſam à nobis ſuperius expoſitam. Et quia priuilegia hæc non omnibus definitionibus ſunt communia, ſed eis tantum quæ ſubſtãtiales dicuntur, ideo non abſolute & ſimpliciter cuiuis definitioni hos dixit conuenire, ſed optimæ, quam à nõnullis ait uocari ſubſtantialem, eſſeq; ex oppoſito diuiſam eis, quæ notionales, uel intellectuales dicuntur, quoniam illæ ab accidentibus definiti, hæ ab ipſa ſubſtantia conſtituũtur. Notum enim eſt apud dialecticos, præcipue Boëtium in libro definitionũ, inter uarios definitionis modos, quos ipſe copioſos percenſet, duos hos eſſe præcipuos. Vnum eius quæ proprie definitio uocatur, quæ ſcilicet declarat quid res ſit per eſſentialia: aliũ eius quæ ſolet deſcriptionũcupari, quæ rem aliquo modo per accidentalia effingit atq; deliniat. Subſtantiã autem intelligere hic opor-

tet, non proprie, ut contra accidentia diuiditur, alioqui in accidentibus non reperiretur substantialis definitio, sed rei, siue accidens illa sit, siue substãtia, essentiam. Vt tamen ad propositũ nostrum attinet, eam potissimum intelligere definitionem oportet, quæ artem quam docturi sumus, per essentialia, id est per ea quæ essentialia artis sunt, & non accidentalia declarat. Deinceps quoniam hanc doctrinã dixit conferre ad memoriam particulariũ, ne quispiã diceret, quo pacto in particularium memoriã uenire ualebo, si ea mihi non antea fuerint explorata, propterea edocet ubi illa discẽda sint, & quantum eorũ cognitio tribus doctrinis sit utilis, inquiens.

GALENVS.

Particularis aũt executio uniuersę medicinalis speculationis, in multis alijs à nobis est scripta cõmentarijs, quibus uti licet ad tres doctrinas.

MANARDVS.

Speculatio Sermon

Speculationis nomen, non proprie hoc loco accipere oportet, sed communiter, sicut & scientiæ nomen in medicinæ definitione, cum tota medicina factiua sit iuxta Galeni sententiã, uti inferius sumus ostensuri. Quo uero libro singula quærenda sint, ipsemet in calce operis monstrabit. Nunc addit usui esse posse illa commentaria ad tres doctrinas, nedum scilicet ad definitiuam, si quis per earũ aliquam tradere medicinam uoluerit. In quo loco mirum est quàm insulse errauerit Drusianus, uerba simul & mentẽ Galeni peruertens: quasi uoluerit non id quod diximus, & quod ordo ipse & significatio uerborum ostendit, sed per figuratũ loquendi modum, qui uix poëtis conceditur, contrarium, posse uidelicet quemuis in commentarijs à Galeno æditis uti tribus doctrinis, nimis certe audacter in hac parte grammatistæ functus officio: & propterea merito à nonnullis reprehensus, qui Galeni hoc dictum ita intelligunt, ut

Error Drusiani.

Alia expositio Leon.

ut docere nos uoluerit ad quem locum nobis recurrendum sit, quãdo quid eorum quæ uel hic, uel in libro de constitutione artis medicinalis sub cõpendio dicta sint, distinctius uolumus cognoscere. Quorũ tamen expositionem neq; ego probarem. Licet enim uerum sit inueniri ea illic explicata, quæ hic concisim scribuntur, non tamen id intendisse Galenum hoc loco putandum est. Tum quia uerba illi sententiæ minus quadrant, quibus semper innitẽdũ crebro Galenus nos monet: hoc enim non esset uti illis cõmentarijs ad tres doctrinas, sed resarcire quę desunt libris per tres doctrinas scriptis. Tum quia etsi definitiuę, uel resolutiuæ à Galeno traditis, aliquo fortè modo hæc uerba coaptari possint, certe compositiuæ secundũ etiam ipsosmet sic exponentes, nunquam quadrabunt: ut cum ipsi uolunt à Galeno in illis commentarijs, ad quæ nos nunc remittit, esse conscriptam. Quomodo enim diceret illis libris posse quem uti ad supplenda quæ desunt in doctrina compositiua, si ipsimet libri, ut illi putant, sunt doctrina compositiua? Nisi diceremus unum librum facere ad suimet supplementum. Nos tamen non putamus Galenum reliquisse nobis medicinam sub compositiuo ordine, sicut sub definitiuo & resolutiuo, ueluti in fine procœmij ostendemus, ad quem festinantes ultima eius uerba exponemus huiuscemodi.

Contra Leon. expositionem.

GALENVS.

Sed nunc definitiuã incipiamus, hoc iterum addentes, quod sola capita & ueluti conclusiones eorum, quæ per diexodum demonstrata sunt, nunc dicentur.

MANARDVS.

Dixerat Galenus, se uniuersa medicinæ præcepta, particulatim in multis scripsisse commentarijs, quibus uti posset quis ad tres Doctrinas scribendas. Sed nunc

ait, definitiuam incipiemus: quasi diceret: In multis nostris commentarijs materia & ueluti supellex quædam parata est medicinæ, per quamuis trium doctrinarum tradendæ: sed nunc alijs duobus dimissis, definitiuam aggrediemur. Additq; unum, quod auditorem maxime attentum potest reddere, quod sola dicturus est capita, & ueluti conclusiones, eorũ quæ per diexodũ in alijs commentarijs sunt demonstrata. Græco autem nomine usus sum, quia non occurrebat Latina dictio, quę idem nobis significaret, quod Græcis Diexodos. Latius enim patet ea dictio, et modo excursum, modo exitum significat. Sed et Alexãdro Aristotelis Topica enarranti aliud significare uidetur. Eò enim differre dialecticũ à rhetore dicit, quod diexodicas orationes non facit, sed cum interrogationibus, respõsionibusq;. Galenus libro tertio Epidimiarũ memorare se solum uelle dicit ea quæ in alijs locis declarata, non per diexodum doctrinam facere. Alio uero loco eiusdem expositionis doctrinam per diexodũ factam, aduersus eam distinguit, qua in exponendis aliorum commentarijs utimur. Et in expositione libri Hippocratis de fracturis, doctrinã quæ fit per diexodum, ab ea diuidit, quæ fit per capita: hanc quidem ad memoriam, illam ad claritatem dicens aptiorem. Varijs igitur existentibus uocis significatis, malui græcam uocem relinquere, quàm latinam loco eius reddendo multiplicis significati amplitudinem restringere. Si quis tamen à me scire cupiat quid hoc loco Galenus per diexodum intellexerit, dicam: nihil aliud meo iudicio, quàm eam doctrinam, quæ non per capita tantum, sed explicatis cunctis late & profuse fit. Dixit autem, ueluti cõclusiones, ad ostendendum quod non essent uerè conclusiones, sed similitudines quasdam earum in eo haberent, quod paucissimis uerbis plurima concluderent. Poterã hic finem fecisse procemio, nisi fidem superius oppignerassem, me nonnulla disputaturum,

Diexodus.

Q. An triplici Galeni doctrinae nūc omnes doctrinae comprehendā cū uideamus multos insignes autores q artes tractarunt hunc ordinem nō seruasse.

rum, quæ uel sobriè, uel nullo modo attigerā. Liberum tamen erit unicuiq; ad artem ipsam festināti, his prætermissis quæ sequuntur, ad Galenum conuerti. Prima igitur dubitatio est, an triplici illi numero omnes doctrinæ comprehendātur: cum uideamus multiplices in omnibus scientijs, multisq; artibus libros, ordine etiam quodā à præclarissimis uiris conscriptos, in quibus nulla harum doctrinarum est seruata. Et ut ex plurimis aliqua attingamus, Priscianus Grammaticen, Cic. Rhetoricen, Martianus omnes artes, quas liberales uocant, Celsus Medicinam, alij alias disciplinas nobis reliquere, atq; certo cum ordine, in quorū tamen processu nullam harum Galeni doctrinarum est reperire. Nullus etiā ordo melior uel fingi potest, quàm is, quem sapientissimus Deus in rerum fabrica demonstrauit. Quem si quispiam in scribendo secutus fuerit, eum certe nullus ordinate scripsisse negabit, et si nullo Galeni ordine se submiserit: ut si scripturus quis de uniuerso, à supremo ordiatur cœlo, & seriatim descendendo ad centrū usq; terrę pertingat. Si de homine, primum de corpore, atq; ijs quæ ei subseruiunt membris, pulsibus quoq; arteriarum & spiritibus, deinde de hepate & uenis ab eo ortis, uentriculoq; & intestinis, humoribus & concoctionibus, reliquisq; omnibus quæ ad hepar quoquo modo referri possunt, sicq; de cerebro, & testibus suam cuiq; familiā consociādo. Ordo etiam quidam seruatur dum à facilioribus inchoantes, ad minus minusq; facilia seriatim discentem adducimus: nulla tamen trium doctrinarum in hoc processu dignoscitur. In Aphorismis quoq; ordo quidā uisitur, & multis in locis à Galeno ipso notatur: quod si quis proterue neget, posse tamen Aphoristicas sententias ordini cuidam inhærendo scribi concedat, qui non sit aliquis trium à Galeno numeratorū. Definitiua rursus ab alijs duabus differre non uidetur: quoniam definitio uel per finem artis, uel per commu-

Prima dubitatio.

Prima argumentatio.

2ª

3ª

4ª

5ª nō sūt tres

nia genera assignatur: si primum, iam erit resolutiua, quia à notione finis initium capiet: si secundum, compositiua. Sed & cum nihil uetet utriq; reliquarũ doctrinarum ordini definitionem generalem artis præponi modo procedendi accõmodatam, misceri utriuis aliarum posse definitiua uidetur. Demum nulla est ratio, quæ nos cogat trinarium hunc numerum recipere, nullamq; amplius doctrinam excogitare: et si qua illa est, certe assignari debet. A subiecto præterea scientiæ, in quo tota scientia potestate quadam continetur, patet aditus cum ordine ad omnia theoremata: à quo si qua doctrina incipiat, ordinata quidem erit, sed non aliqua trium dici ualebit. Sed & Aristoteles in principio libri postremorum resolutiuorum, alias doctrinas agnouisse uidetur, & Græci eius interpretes demonstratiuam addunt & diuisiuam: quam etiam Galenus ipse alijs in locis & agnouisse, & plurimi fecisse uidetur: sicuti in libro de partibus artis medicinalis, ubi totam artem tradere secundum eam uidetur: & nono Therapeutices, ubi dicit quod per eam omnes artes cõstituuntur: & secundo libro de differentijs pulsuum, eius & compositiuæ meminit, alijs prætermissis: & in primo Artis curatiuæ ad Glauconem, errores medicorum ex eius ignorantia maiori ex parte dixit prouenire. Sed & Plato in Phædro eum hominem dei loco habet, qui artem bene calleat diuidendi. Hæc quidem aduersus trinarium hunc doctrinarum numerum afferri posse uidentur. Verum quod ad autoritates alias attinet, facilis responsio est ex ijs quæ circa literam notata sunt. Aristoteles enim & eius asseclæ, aliter doctrinæ nomen quàm Galenus accipientes, alias quoq; eius species facere minime mirandũ est. quod ad diuisionẽ difficilis: quam diluere recte non possimus, nisi prius uideamus, an sit aliqua trinarij huius doctrinarũ numeri approbanda uia. Vbi enim probauerimus, plures tribus ordinatas doctrinas esse non

Solutio dubitationis.

posse,

posse, necesse erit aut diuisiuam à numero doctrinarũ auferre, aut in aliquã trium referre. Sunt ergo nonnulli se huius nouæ expositionis inuentores facientes, qui ordines, sub quibus unaquæque scientia tradi potest, esse tantummodo tres, ita probant: Aut scientia explicatur eo ordine quo inuenitur, & est resolutiua: aut è contrario, & est cõpositiua: aut definitur scientia, & in docendo seruatur ordo partium definitionis, & est definitiua. Sed certe (quod eorum pace dictum sit) mera hæc uerba sunt tantũ, at nihil probant: oportebat enim addere, quod sub nullo alio ordine sciẽtia tradi potest: quod ita ambiguum est, sicuti id quod probare contendunt. Videamus ergo nos, si quo modo ternarium istum numerum asserere ualeamus. Doctrina ordinata, de qua hoc loco Galenus loquitur, est quæ exordio à certo initio sumpto, ad secundũ, tertium & quartum seriatim procedit, donec uniuersa artis theoremata certo ordine permeauerint. Si enim ab aliquo intermedio inceperit, ordine certo perlustrare cuncta non ualebit: ad utrũ enim extremum si se conuerterit, perpetuũ habere progressum non ualebit. Sed ubi metam attigisse uidebitur, uel quædam dimittere, uel aliud initium sumere cogetur, & sic uel ab ordine cadet, uel partem artis intactam relinquet. Oportet ergo ut id à quo ordinata doctrina exorditur, rationẽ ueri initij habeat, quã habere non potest, nisi omnia ad artem attinentia in se ui quadam concludat, terminiq; rationes habeat. Quæ duo cum in tribus tantum rebus inueniantur, relinquitur tantũ tria esse à quibus inchoare ordinata doctrina possit: sicuti tria sunt, quibus quasi terminis ac limitibus clauditur, principia uidelicet & finis, quæ extremi ueram rationem habent: ac definitio, quæ & ipsa terminus dicitur, quia totam scientiam, duo illa uidelicet extrema cum omnibus intermedijs, includit. Sed & utrunque aliorum uniuersam quoq; scientiam uirtute quadam con-

Reprobatur ratio Leon.

Doctrina ordinata

tinet, principia ueluti, uel cõmunia, uel priora, finis tanquam necessitatem omnibus imponens. Quod si tria tantũ sunt à quibus orsa ordinata doctrina, & uniuersa artis præcepta ex ordine ualet percurrere, nec inueniri quartum, etiam nec effingi imaginãti, ad hoc idoneum contingit, relinquitur tantum esse tres ordinatas doctrinas: & si aliæ reperiãtur, quæ in has referri non possint, eas ordinatas dici non debere, eo uidelicet modo, quo Galenus loquitur, licet fortasse latius sumpto ordinati uocabulo, ordinẽ aliquem præ se ferre uideantur. Ferè enim qui extant in omnibus artibus libri, ueris his Galeni ordinibus carentes inuenias, et si quẽ ex tribus pręse ferunt, definitiui potius quàm aliorũ similitudinem gerũt. Nec si quis ordinẽ rerum sequatur, is propterea ordinatam doctrinam cudit: alius quidem ordo in rebus, alius in doctrinis est attendendus. Non enim nos facimus res naturales, sed uel circa eas speculamur, uel ipsas ad aliquem nostrũ usum arte & ingenio accõmodamus: atqꝫ uaria sunt hominum ingenia, diuersaqꝫ educatio, & eruditio, ita euenit ut alijs alia faciliora difficiliora'ue existant. Et propterea qui ex facilioribus inchoat, nisi ex uno illorum trium ea sint generum, à quibus exordiri ordinatam Galeni doctrinam demonstrauimus, ordinatam doctrinam nequaquam constituit.

Solutio primæ argumẽtationis.

Vix tamen faciliora aliqua reperias, à quibus ad totam artem ordinate progredi possis, quæ in aliquod trium à nobis dictorum initiorum non referantur: sicuti & subiectũ artis, quodcunqꝫ nam illud statuatur, uel in finem recidet, uel in principia, uel sub definitionem: sub qua licet principia & finis comprehendãtur, non propterea à reliquis duabus definitiua doctrina non distinguitur: sicuti si etiam illæ quandam præmiserint artis definitionem, modo suum quæqꝫ ordinem seruet, propriam speciem non amittẽt. Ex his omnia dilui posse arbitramur, quę aduersus ternarium istum doctrinarum numerum affere-

afferebantur, præter id quod diuisionem unam ex ordinatis esse probat: quod tanti momenti est, ut qui nostra tempestate maximi Galeni sectatores habiti sunt, ei manus dare coacti sint. Quidam enim absolute dicunt resolutiuã doctrinã esse diuisiuam, Galeni autoritate moti, qui nono Therapeutices loquens de diuisione, quæ à generalissimis incipiens ad penitus indiuisibilia attingit, ita ad literam ait: Hanc enim nos Plato docuit Methodum constitutionis cuiuslibet artis. Hoc uero priuilegium scilicet constituendi omnes artes, cum Galenus in hoc procœmio, & in libro de cõstitutione artis medicinæ resolutiuæ tribuerit, colligi necessariò putant, resolutiuam non esse aliud quàm diuisiuã. Alij dicunt ordinem diuisiuæ reduci ad resolutiuum: quia eodem ferè ordine omnes medicinæ partes per diuisiuam methodum in lib. de partibus artis medicinæ inueniũtur, quo per resolutiuã: & Methodus diuisionis ibi uocatur resolutio, incipitq; à partibus fini propinquioribus, & desinit in remotiores, quæ sunt primę in ordine compositiuæ. Et consequenter dicunt, non differre librum de partibus à libro de constitutione, nisi quod in illo partes solum inueniuntur, in hoc & inueniuntur & docentur. Et quia idem ferè ordo in utroque seruatur, ideo Galenus tres tantũ & non quatuor ordines numerauit, diuisiuum cum resolutiuo computans, uel ad eum reducens. Et in hoc iste secundus laudat priores, qui doctrinam resolutiuam eandem cum diuisiua putarunt, probro tantum eis dans, quod modos doctrinales putauerint doctrinas. Sed equidem qui sic dicunt, mihi uidentur eundem lapidem cum primis uoluere, ut qui semper in tota sua disputatione diuisionem cum dialecticis Methodis computarunt, seu modis, ut dicunt, doctrinalibus, & nunc demum eam inter Galeni doctrinas connumerent, & esse eandem cum resolutiua putent. Sed cur non sit eadem pariter cum definitiua, cum eidem

Opinio Leon.

Contra Leon.

Prima ratio.

Secunda

æque, imò forte magis ſubſeruiat. Videbimus enim Galenum poſita definitione particulas eius ſtatim conſcindere, partesq; medicinæ in hoc libro nõ aliter quàm per diuiſionẽ uenari, cum in libro de artis medicinalis conſtitutione, multa per reſolutionem abſq; diuiſione rimetur. Sed & hanc, definitiuã dico, poſſe diuiſiuam appellari ſuperius approbauit. Sinamus ergo diuiſionẽ unà cum reliquis dialecticis methodis doctrinis noſtris ancillari, reddamusq; potius rationem, cur inter dominas eam collocare dedignamur. Diuidere nõ poſſumus, niſi adſit quod diuidamus. Illud autem quo diuiſo, quodamq; ordine ſubdiuiſo, cuncta ad artem ſpectantia certo ordine explicari poſſunt. Vnum illorum trium neceſſariò eſt, quæ ſuperius inueſtigauimus, uel potius à Galeno inueſtigata, in memoriam reuocauimus, principia ſcilicet, finis notio, uel communis definitio: à quo uno orſus ſi ordine quodam, cum adminiculo etiam diuiſionis, cunctas artis partes perluſtraueris, non diuiſiuam doctrinam, ſed unam ex tribus à Galeno numeratis cum ſeruitio diuiſionis efficies. Ancilla igitur doctrinarum eſt diuiſio, non doctrina. Ne propria tamen laude diuiſiuam hanc fraudare uideamur, dicimus eam ex hoc maxime laudãdam, quod ad ſpectatiuas actiuasq; ſcientias, & factiuas artes plurimum cõducit, in omnibusq; humanis rebus eſt utiliſſima, hoc proprium habens, quod ſicuti eſt ad diſcendũ facilis, ita eſt, ut inquit Plato, ad uſum difficillima: ut mirũ non ſit, ſi eum loco dei habiturũ ſe dixit, qui ea optime uti norit. Meritò ergo multis in locis eam laudauit Galenus, et Methodum eſſe dixit per quam omnes artes conſtituerentur, tanquam ſcilicet per idoneum inſtrumentum, quo reſolutiua commode utitur. Liber uero de partibus, quãtum definit à libro de conſtitutione, legenti utrunque facile patêre poteſt. Scopus enim & propoſitũ illius eſt inter diuerſas medicinę diuiſiones cognoſcere, quę ſit utilior, huius

Reſponſum ad rationem primam oppoſitionis.

Ad rationem Leon.

huius artem medicinalem construere, modo quo aliæ artes in libro de omniũ artium constitutione sunt constructæ. Nec si diuisiua methodus illic resolutio uocatur, propter hoc sequitur, ut sit doctrina resolutiua, cũ & definitiuam superius Galenus concesserit uocari resolutionem, & in libro de Cõstitutione, dissolutionem domus in partes, eodem resolutionis nomine appellauerit, & undecimo Therapeutices inuestigationem curationis febrium putridarum eodem resolutionis nomine dignatus est. Cum ergo late, ut suprà mõstrauimus, resolutionis nomen pateat, aliudq; sit resolutio, aliud doctrina resolutiua, quod & ipsi non diffitentur, si is qui diuidit unum in multa resoluit, non propterea doctrinam eum resolutiuam facere cõcedimus, nisi alia quoq; concurrant, quæ ad doctrinam Galeni resolutiuam diximus esse necessaria. Tres ergo esse tantummodo doctrinarum ordinatarũ maneries, ex dictis, ni fallor, manifeste concluditur. An uero eas quas diximus, Galenus intellexerit, ambigere adhuc quisquam posset, præsertim cum præceptores, maioresq; nostri aliter eius dicta acceperint, recentissimiq; nonnulli ex Hispania, ut audio, nouam Galeni circa has doctrinas sententiã portauerint: quæ Patauij per eos primo, demum in Ferrariensi & Papiensi gymnasio per alios est diuulgata. De qua quicquid cognoscere potui, breuiter explicabo. Doctrinam resolutiuam, uti superius diximus, esse putant diuisionem: compositiuã, compositionem eorum quæ per diuisionẽ inuenta sunt. Et hanc duplicem esse rentur, prædicati scilicet cum subiecto, & unius enunciationis cum alia. Definitiuam, quancũq; definitionem, quærem ipsam declarat. Definitionem enim quid nominis dicunt esse finis notionem. Ad huius etiam nouæ expositionis assertionem, Galeni testimonium afferunt primo Therapeuticæ cõtra Thessalum hoc pacto loquentem: Dic in primis quid sit morbus, quid accidens, quid

Solut. alterius rationis tactæ à Leoniceno.

Secunda dubitatio.

Opinio noua de tribus doctrinis.

dolor: & diuide definiendo unũquodq; horum trium, ut ſcias quid horum iunctũ cum alio unum conſtituat. Ecce ergo, inquiunt, quomodo primo habetur notio finis, id eſt definitio quid nominis, poſtea diuiſio, mox definitio, demum compoſitio. Vide quàm pulchre ex Galeno ſuam deliniant Chimæram, ex uariis rebus fabuloſe confictã. Nam ut à capite incipiã, ubinam didicerũt, quod notio finis ſit definitio quid nominis? Nullus enim dialecticus, uel Philoſophus, ſiue antiquus, ſiue recens, hoc loquendi modo uſus eſt, ut definitionẽ quid nominis uocatam, notionem finis nuncupauerit. Galenum tamen uidebant ubiq; eos inſectantẽ, qui communem loquendi modum non ſequuntur. Satius profecto erat ab ipſo Galeno diſcere, quidnam eſſet per notionem finis intelligendum, quàm ſibi adeò pueriliter hæc omnia confingere: cum præter hunc locum bis in his quæ ad manus noſtras peruenerunt libris, notionis finis mentionem habuerit, in libro ſcilicet de artis medicinalis conſtitutione, & in eo cui titulus, An ſalubre ad artem medicinalẽ, uel exercitatoriam pertineat: in quorum utroque clare demonſtratur uoluiſſe, finem, ex cuius cognitione artes conſtituuntur, eſſe uerum artis finem, non autem nominis definitionem. In hoc enim dicit finem eſſe regulam, & iudicium omnium quæ in arte pertractãtur, per eamq; artes diſtingui, ac ſeparari: in illo ſanitatẽ ipſam quam facere uel ſeruare uolumus eſſe finem, cuius notio principium eſt medicinalis artis conſtituendæ quæ priuilegia: ſi quis nomini cuipiam attribuerit, ab omnibus meritò erit deridendus. Quod etiam doctrinam reſolutiuã non recte ſenſerint eſſe diuiſionem, ſatis me ſuperius probaſſe puto. At quod de compoſitione intelligunt, certe adeò puerile eſt, ut illud me proſequi pudeat: præter enim id quod confundit inuicem, & commiſcet tres Galeni doctrinas, in omnibus quoque libris doctrinam ordinatam eſſe cogit, cum nullus

Contra nouam opinionem.

Primus error.

Secundus.

Tertius.

nullus liber ſit in quo compoſitio utraque non reperiatur, ſimplicium uidelicet uocũ, & orationum: & ſi præceſſiſſe diuiſionem uolunt, paucos etiam inuenient libros, in quibus aliquando diuiſiones non fiant, & poſt eas compoſitiones. Sed ſi non alias duas, uel unicam definitiuam poterãt ex hoc libro intelligere: quam tamen modo ſuo intellectam, non uideo quomodo magis in hoc libro inuenire, quàm in alijs poſſint, cum paucæ in eo ſint definitiones, diuiſionum, compoſitionumq; (ſi modo ſuo hæc intelliguntur) comparatione. Ex Galeno quoq; quę adducunt uerba qualiacunq; ſint (corrupta enim eſſe ſtatim monſtrabo) perperã intellexerunt, quando nihil illis cõmune cum noſtris tribus doctrinis inuenitur. Redarguit enim ibi per longum proceſſum Theſſalus, qui de morbis tractaturus, & earũ ſpecies enumeraturus, differentias tantũmodo aſſignauit morborũ, alios eſſe ſolutos, alios aſtrictos dicens: in uerbisq; ab eis recitatis docere Galenus Theſſalũ uidetur, quonam modo recte procedendũ erat morborũ ſpecies inueſtiganti, ſic ſcribens ad uerbum: Oportuit enim & » hic primo dicere, quid morbus, quid accidens, quid paſ- » ſio: poſtea determinare, ubi idem eſt ſingulũ dictorum, » & ubi non idem: quibus hoc modo peractis, iam ten- » tare diuidere ipſa in proprias differentias, iuxta metho » dum, quam nos Philoſophi docuere. In quibus Ga- » leni uerbis nulla de tribus doctrinis mentio, ut ad eum locum minime pertinentibus. Sed quoniam diſceptatio erat quomodo tria illa, morbus uidelicet, accidens, et paſſio, inuicem cõuenirent, differrentq;, ideo primum uidendum fuiſſe ait, quid ſingulum illorum eſſet. Non enim, ut ipſe alibi dixit, differentiã inter aliqua ſtatuere recte poſſumus, niſi quid ſit unumquodq; eorum, ſeorſum cognouerimus. Deinde uidendum erat in quibus cõuenirent, in quibusq; differrent. De modo iuxta diuiſionis methodum ab antiquis traditam, tentandum

erat ea diuidere per proprias differentias. Tentare autem dixit, quoniam, ut diximus, facile discitur ars diuidendi, sed difficillime perfecte ad opus refertur. Et hæc quidem satis sint aduersus hanc nouam opinionē. Fuerunt & alij Patauij eo tempore, quo nos Ferrariæ, hunc librum profitentes, qui nullo fundo innixi, nouā, ut ipsi uideri uolebāt, struxere expositionem, per doctrinam resolutiuam partem medicinæ theoricen, per compositiuam practicen intelligentes: qui certe parū ad Galeni lucernam se uigilasse demonstrant. Cuius si uel primas euoluissent paginas, facile cognouissent, totam apud eum medicinam factiuā esse, nec inter tot ab eo in libro de partibus medicinæ, secundū aliorum etiam sententiam, positas medicinę diuisiones, huius fieri mentionem, quæ in theoricen & practicen secatur. Quam tamen si Galeni omnino esse contendebant, poterant nihilominus cognoscere utranque partem sub resolutiuo ordine in libro de constitutione ab eo fuisse cōscriptam: cum principio ex notione finis sumpto, tam ea quæ ad theoricen spectare à neotericis dicuntur, quàm ea quæ ad practicen ibi fuerint inuestigata. Adhuc fortasse aliquis ambiget, percunctaburq́ę, undenam nos in hanc sententiam uenerimus, ut longissima præscriptione quasi iam tutas opiniones tam facile de antiqua possessione turbaremus. Aperiam ingenue rem. Mouit me primo uir ille, quisquis ipse fuerit, qui commentarium in librum de sectis scripsit, doctrinā resolutiuam in eo libro agnoscens, ubi nulla demonstratio. Confirmauit Galenus in lib. de Constitutione medicinę, absq́ę demonstratione resolutiuo ordine Medicinam conscribens. Resolutiua cognita, facile fuit compositiuam pariter, ut eadē quidem uia, solis transpositis terminis, procedentem agnouisse. Definitiuam ex hoc libro promptum fuit intelligere. Cōfirmauit me in sententia Leonicenus, nostra ætate in expugnanda barbarie dux atro-

Tertia dubitatio.

trociſſimus: bonusq; ille Arabs Galeni expoſitor antiquus: quem quoniam nonnulli magni hac tempeſtate, in eadem alea cum reliquis ponunt, ideo neceſſe eſt mihi monſtrare, quod eiuſdem nobiſcum ſententiæ fuerit. Quod certe non erit difficile ex dictis eius barbaris ſenſum elicienti. Prima quidem ſua commentatione conformiter ijs, quæ ex Galeno diximus, declarauit quæ eſſet ordinata doctrina, & quæ carens ordine: per hanc non habere nos dicens id quod quærimus, id eſt perfectam & completam artem, quia ſcilicet non inde inchoat, unde oportet, nec ad finem uſque pertingit. Sequenti deinde commentatione, primam, hoc eſt reſolutiuam doctrinam probè declarauit: prius tamen per exemplum quiddam oſtendit, non doctrinam reſolutiuam, de qua Galenus loquitur, ſed reſolutionem, à qua nomen reſolutiuæ ſortita eſt: accuſans nonnullos, qui non congruenti doctrina Galeni exemplo reſolutionem declarauerunt, per corporis compoſiti in partes componentes reſolutionem, eam declarare uolentes. Et meritò quidem eos taxat: in Galeni enim reſolutione non totum aliquid compoſitum in partes, ſed finis ipſe, qui unus eſt, in plura ad eum requiſita reſoluitur: quæ reſolutio cum reſolutione concluſionis in ſua principia magnam gerit ſimilitudinem. Concluſio enim propoſitionum reſpectu, rationem finis habet: & ſicut in hac concluſionis reſolutione non ſtatur, donec ad prima principia uentum ſit, quæ in alia priora reſolui non poſſunt, ita & in hac Galeni doctrina ceſſandum non eſt, donec prima artis theoremata inuenta ſint. Et hanc quidem concluſionis reſolutionem Geometris ait eſſe non ignotam, alijsq; ſcientiarum magiſtris, Ariſtotelisq; in libris, quos hanc preſertim ob cauſam reſolutorios appellauit, non de doctrina Galeni loquens (ut aliqui putant) ſed de concluſionis reſolutione, à qua illa, ut diximus, originem ſumpſiſſe ui

detur. Exponit autem uerba quædam, quæ Galeni putabat, doctrinam hanc aperientia, quę ab aliquo, primo apposita expositionis loco fuerant, deinde (ut sæpe accidit) textui inserta; quorum sententia est, statuendũ esse in mente finem scientiæ, quam docere intendis, uel inuenire. Quem quidẽ finẽ non insulse expositor Arabs uocauit, quæsitum: est enim illud quod quærimus, & cuius gratia laborem uel inueniendi, uel docendi artem assumimus. Deinde illo scilicet fine in mente seruato, uestiganda ea sunt, sine quorum notitia perfecte haberi ea ars non potest, quæ ad illum finem conducit: nec à tali uestigatione desistendum, donec ad principia uentum sit. Quem procedendi ordinem, in commentationis calce adeò in medicina declarat, ut uel ex hoc ipso optime calluisse uideri possit, quænam esset illa doctrina, quam Galenus resolutiuam uocauit, cum nulla ibi demonstrationis mentio habeatur, sed resolutio tantũ usq; ad principia artis fiat. Nec quę de demonstrationibus in sequenti cõmentatione dicuntur, si litera, ut in antiquis exemplaribus, & in ijs etiã quę primo æneis formis excusa sunt, iaceat, aduersus nostram opinionem tendit, imò, si bene attendatur, eam potius confirmat. Non enim dicit demonstrationes esse has doctrinas, sed quod demonstrationes in eis fiunt: quod certe non dixisset, si has doctrinas esse demonstrationes, sicuti illi impingitur, putasset. Quis enim diceret in demonstratione fieri demonstrationẽ? Et id quoq; quod subdit, ueritate non caret, si recte intelligatur. Nihil enim aliud in fine tertię commentationis uoluit, quàm demonstrationẽ quamobrem, compositiuæ: ut res sit, resolutiuę esse magis accommodatam. Licet enim nihil uetet nos in utraq; doctrina, ueraq; demõstratione uti, doctrinę tamen compositiuę à prioribus ad posteriora procedenti, ea demõstratio conformior est, quæ eundẽ procedendi modum seruat: sicuti resolutiuæ, quæ contraria graditur, id est à

poste-

posterioribus in re ad priora, demonstratio, ut res sit, quæ eodem & ipsa calle progreditur. Sed sexta quoq; cõmentatione apertissime ostendit, se eo pręcise modo intellexisse doctrinam compositiuam, quo nos eam declarauimus: quod certe esse non poterat, nisi resolutiuam eodẽ pariter, ut nos, modo intellexisset: quoniam ut ipsemet tertia fatetur commentatione, compositiuæ semita resolutiuæ contraria est, & per eam intelligitur. Cõmentatione quoq; sua octaua, agnouisse se ostendit librum, in quo per doctrinam resolutiuam medicinam tradidisse Galenus fatetur, quẽ librũ ipse bonus Arabs de doctrina artis medicinæ nuncupauit. Hæc sunt quibus ego motus, puto ueram Galeni sententiam Arabi expositori fuisse exploratã. Quamuis uero dixerit, ideo nobis Galeni trinarium numerum doctrinarũ proposuisse, ut ad dialecticã animaret: non propter hoc sequitur, putasse eum in his doctrinis includi duplicem demõstrationem: nam sicut demonstrare absq; dialectica nescimus, ita nec recte resoluere uel cõponere. Quod non ideo dicimus, ut eius in hac parte sententiã approbemus, sed ne propterea credatur, ut multi credidere, has doctrinas demõstrationes putasse. Dubitare rursus contigit, quemnam nobilitatis ordinem tres istæ doctrinæ sibi inuicem collatæ obtineãt. Galenus resolutiuam definitiuę dignitate, & methodo, ut uidimus, pręponit, sed qua ratione, et quomodo, non expressit. Nos autem dicimus resolutiuã digniorẽ, tum quia à notione finis, causæ uidelicet diuinæ & nobilissimæ exordium capit, tum quia non solum docet, sed inuenit, & cõstituit. De hac enim doctrina loquens Galenus ait, ex qua omnes artes secundũ methodũ consistũt, uel, ut alij legunt, constituuntur. Non enim, quod in expositione illius literæ tetigimus, in hoc loco illis accedimus, qui iuxta grãmaticales leges relatiuum semper id quod propinquius est, referre putantes, non doctrinã, sed finis notionem esse

Dubitatio quarta.

dicunt, ex qua omnes artes constitui Galenus asseuera
Contra Leon. uerit. Et multũ differre putant, siue hoc, siue illo modo
intelligamus. Sed credimus ex fide Græcorũ exempla-
rium apponendã, ut nos uertimus, in fine illam uocem
Doctrina, quæ etiamsi non apponatur, relatiuum Qua
referre doctrinã arbitramur, legi, ut ipsi uocant, illi mi-
nime obsequentes, ut quam uideamus à probatissimis
linguæ latinæ autoribus, imò ab ipsismet eam promul-
Celsus. gantibus neglectam. Celsus enim, ne à nostris scholis
discedamus, ubi curationem carbũculi docet, ita scribit
ad literam: Sequitur sub medicamentis, crusta undiq;
à uiua carne diducta, quæ trahit secum quicquid corru-
ptum erat. Nemo autem ambiget non carnem, per rela
tiuum, quæ, referri: sed crustam: sed longinquiorẽ, non
propinquiorẽ dictionem. Siquidem non caro uiua, sed
crusta ipsa est, quam trahere secũ quicquid corruptum
est, uoluit Celsus: alioqui non tolleretur corruptio, sed
potius in partem sanã procũberet. Sed nónne ipsimet
Galeni prima de hac doctrina uerba hoc modo uerten
tes: Prima quidẽ ex notione finis, quæ per resolutionẽ
fit: relatiuum quæ, non notionem finis, sed doctrinam
referre, fateri coguntur? Alioqui si id quod est propin-
quius, id est, notionẽ finis referret, non à finis notione,
sed à resolutione, hæc doctrina inchoaret, & notionem
finis resolutio præcederet, quod & Galenus, & ipsimet
Idem esse quicqd per relatiuũ refertur. negant. Quàm uero nihil intersit, sed in idem recidat, di
cere, quod per notionem finis omnes artes constituun-
tur, uel per doctrinam resolutiuã, hinc disci potest: quo
niã notio ipsa finis per se absq; resolutione artem ipsam
construere ullo pacto non ualet. Qui ergo dicit, per no
tionem finis omnes artes cõstitui: dicat is quoq; necesse
est, per resolutiuã doctrinam hoc fieri: quod & ipsimet
negantes, ueritatis ui coacti, in suo cõmentario non dif-
fitentur, præsertim eo loco, ubi artes tam factiuas quàm
spectatiuas per ordinem resolutoriũ inueniri asserunt:

doceri

doceri uero per eum tantũmodo factiuas, atq; eo etiam ubi per modum resolutionis à fine noto illa sumi dicũt, quæ faciunt ad artis constitutionem. Sed nec aliter Galenus in libro de Cõstitutione artis medicinalis, ex finis notione medicinã constituit, & alias artes cõstitui dicit, quàm per hanc doctrinã; & in libro cui titulus, An salubre ad artem medicinalem, uel ad exercitatoriam pertineat: postquam dixit, hinc, id est à fine noto cuiusq; artis constitutio sumpsit initium, quibusdã interiectis, subdit: Sed quæ omnes artes inuenit, hinc sumpsit initium. Clarum autem est, quod per illam quæ omnes artes inuenit, non potest intelligere, nisi doctrinã resolutiuam, cum per aduerbium, hinc, intelligat finem notum: per relatiuum intelligi finis notio non potest, quoniam sequeretur, quod finis notio à fine noto sumpsisset initiũ: nec alia res occurrit, à fine noto incipiens, per quam ex Galeni sententia possimus dicere artes omnes cõstitui, nisi hæc doctrina resolutiua. Demus ergo ei & hanc dignitatem; exigua enim illam dignitate illustrant, qui ei ex hoc nobilitatem tribuũt, quod inde incipit, unde omnes artes habent constitutionẽ, cum ab eodem loco, anteambulones & reges, lixæq; & imperator plerunq; recedant. Sed de hoc iam nimis multa, satis enim ostendimus resolutiuam digniorem esse quàm definitiuam. Cui etiam methodo, eò præferenda est, quod certè uiæ & ordini melius inhæret. Media quæ ad artẽ cõsequendam sunt opportuna, unũ post aliud certa quadã serie, et una quasi catena pueſtigans, in definitiua tam certus, tamq; necessarius, & stabilis ordo non reperitur. Imò neq; ipsum initium, id est ipsa definitio stata & firma est: uarias etenim definitiones huic doctrinę inseruire nihil uetat, modo artis partes uniuersales comprehendant: posset enim quispiam & per hanc definitionem medicinam tradere: Medicina est ars, quæ uictu, medicamentis, manu, sanitatem in humano corpore, uel reficit, uel

Contra eundem Leoniceum.

conseruat, uel per aliam quãuis omnes artis partes com prehendentẽ. Nam & eam qua hic utitur Galenus, alijs in locis ipsemet (ut inferius patebit) non probauit: nec apud eum absurdum est eandem rem per plures decla rari definitiones, quę etiam substantiales dici possint. Li quere ergo iam arbitror, quod resolutiua definitiuam dignitate uincat & methodo. Illud deinde superest, ut examinem an eadem resolutiua superet compositiuam: quod certe tanto erit difficilius, quãto minus à Galeno, uel alio, quod sciam, uestigatum. Ego aliquando totam hanc disputationem breuibus sic absoluebam, resoluti uam dicens præstare in inueniendo, compositiuam in docendo, definitiuam in memorando: sed nunc matu rius cõsideranti, uidetur per hæc dicta quæsito non ple nè satis fieri, cum adhuc in dubio sit, quænam absolute præstantior. In quo dubio mihi tenendũ uidetur, quod resolutiua sicut definitiuam, ita & compositiuã superet: rationes enim quæ à fine, ab inuentione, cõstitutione q̃ artium cõtra definitiuam sumebãtur, aduersus utranq̃ æquo Marte contendunt. Neq̃ illis cõsentimus, qui di cunt, quicquid hæc inuenit, ad hunc finem inuenire, ut cõpositiua id digerat, & copiosius edisserat, et propterea compositiuam esse nobiliorem: sicut finis nobilior est, quàm ea quæ sunt ad finem. Sed dicimus resolutiuam proprio artis fine esse contentã, posseq̃ non solum in uenire, et per capita artem docere, sed copiosissime eam digerere & enucleare: tantumq̃ absumus ut composi tiuam meliorem dicamus resolutiua, ut potius affirme mus, quicquid boni compositiua habet, id totum à reso lutiua consequi: tolle enim resolutiuam, nihil habebis quod componas. Adde quod (ut dixit Philoponus in li bro Priorũ) qui resoluere nouit, nouit etiam cõponere: non è cõtrario. Sed & Ammonius idẽ quoq̃ sensit cum Philopono, apertissime etiam attestãs, quod arte, digni tate, copia, & perfectione, resolutiua compositiuã præ cedit.

An resoluti ua excellat composi tiuam.

Contra Leon.

cedit. Et licet de methodis, non de Galeni doctrinis loquãtur, par tamen in utrisq; ratio, cum negari non possit, à methodis quibus utũtur, doctrinas ipsas & nomen & essentiam, atq; ut sequens est, dignitatem accipere. Quod quidem & euidentia rei ipsius ostendit, quando & ante Galenum nõnulli, & post eum plurimi medicinam nobis per compositiuam tradere conati sunt, nullus per resolutiuam. Præferenda ergo absq; dubio reliquis resolutiua, & primas tenere dicenda: quam secundo loco sequitur compositiua, methodo quidem, id est, uia cum ordine, definitiuam præcedens, quoniam eodem calle regrediendo procedit, quo gradiendo accesserat resolutiua: dignitate etiam, quoniam à simpliciorib̃us prioribusq; & dignissimæ demonstrationi, ei uidelicet quę per causas probat, maxime, ut suprà diximus, accommodatis, capit exordium. Et spectatiuæ scientiæ, cæterarum nobilissimæ, maiore ex parte per eam nobis sunt traditæ: ad idq; tandem præstantiæ accedit, ut nisi inuentionis beneficium obstaret, uix resolutiuæ locum cæderet. Hæc ergo est nostra de nobilitate trium doctrinarum sententia: cui satis etiam consentire Galenus uidetur, eodem pręcise ordine, quo nos, unam post aliam disponens. Quod si cõparationes alias seorsum non fecit, resolutiuam uidelicet compositiuę in honore præferens, sicut definitiuæ, non exinde capere argumentum licet, ut nõnulli innuunt, quod compositiua dignior sit resolutiua. Pari enim argumento probaremus, compositiuam dignitate definitiuam non pręcedere, quoniam nec has cõparauit, ut cuius propositum non esset dignitatem cuiusq; harum inuestigare, sed definitiuam non usquequaq; aspernandam ostendere, tametsi à resolutiua dignitate & methodo uinceretur: tãtoq; fuit harum duarum inuicem magis necessaria comparatio, quanto per unam iam medicinam absoluerat, et per aliam mox erat absoluturus. Et de hac quidem dubitatione tot sint

Contra Leon.

Dubitatio quinta.

dicta. Alia deinde insurgere potest dubitatio, an quælibet ars, quælibetq; scientia, tam spectatiua, quàm practica, triplici hoc doctrinarum genere apte doceri possit. In qua dubitatione, quantum ad compositiuã attinet, satis est facilis respõsio, cum uideamus omnes ferè artium & scientiarũ libros, in quibus ordo aliquis agnoscitur, per eam esse conscriptos. Quantum etiam ad definitiuam, licet non multũ ea scriptores usi sint, negari tamen non potest, quin satis cõmoda sit ad omnes scientias scribendas. Non est enim difficile, inuenta perfecte scientia, definitionem pariter inuenire, omnes eius partes ambientem, quibus diuisis, subdiuisisq;, tota scientia percurratur. Resolutiua tantũ superest, de qua difficile est iudicare, an omnibus scientijs, pręsertim speculatiuis, possit accõmodari. Nam de factiuis, ad medicinę exemplum, alias omnes haud difficile est fine supposito et inuenire, & docere. Idem quoq; de actiuis, quas practicas uocãt, existimandum: habito enim fine, moralis, seu eius quæ generis nomen retinet, quam Ethicen, seu eius quæ familiam regere docet, quã Oeconomicen, seu eius quæ Remp. quam Politicen Græci uocãt, inuestigari ea per ordinem possunt, quæ ad hunc consequendũ sunt necessaria. Solæ supersunt speculatiuæ, in quibus difficile est uidere quo pacto per resolutionẽ, uel inueniri possint, uel doceri. Sunt quidam, inueniri speculatiuas per resolutionem dicentes: sed non per eam, sed per compositiuam posse doceri. Quibus ego minime assentiendum duco: qui enim inuenit, quodãmodo seipsum docet. Nihil autem uetat quo minus eo quo semet docuit ordine, alium docere ualeat. Sed nónne qui inuenit, ordinem quem in inueniendo sequitur, scriptis mandare potest? Quæ scripta cum ad aliorũ manus deuenerint, qui non omnino obtusi ingenij sint, easdẽ res, atq; eodem ordine edocebunt, quo à primo fuerunt inuentæ. Non ergo ambigendũ mihi uidetur, omnem scientiam

Opinio Leon.

Contra Leon.

quæ

quæ inueniri aliquo ordine poteſt, eodem ſeruato ordi ne, tanto facilius poſſe doceri, quãto facilius eſt inuenta docere, quàm non inuenta inuenire. Tota uero huius quæſiti dubietas in hoc conſiſtere uidetur, an ſpeculatiuæ ſcientiæ poſſint per reſolutiuã doctrinam inueniri. Quod quidẽ ſenſiſſe Galenus uidetur in libro De conſtitutione artis medicinalis, eadem methodo uniuerſas artes conſtitui affirmans, ſtatimq; diuiſionẽ artium ſubijciens in ſpeculatiuas, & operatiuas. Sed docuit ille quidem modum quo factiuæ inuenirentur, nõ quo ſpeculatiuæ: niſi fortè in alio libro, qui à nobis diu quæſitus, hactenus inueniri non potuit, cui titulus, De cõſtitutione omnium artium. Coniectari tamen poſſumus conſimilem eſſe in utriſq; methodum: differentiamq; in hoc conſiſtere, quod ſicuti in actiuis, factiuisq;, finis in operatione aliqua conſiſtit, ita in ſpeculatiuis in ſola ueritatis agnitione: et quẽadmodũ in illis omnia perquirenda ſunt, quæ ad operationem recte exequendam ſunt neceſſaria, ita in his quæcunq; ad ueritatem circa id quod quærimus indagandã. Si quis ergo, exempli gratia, naturalium rerum ſcientiã conſtituere optauerit, quia uidelicet cogitauerit, nonnulla eſſe in rebus, quæ ſint materiæ penitus immerſa, conſiderare in primis debet cuiuſnam generis ſit ſcientia, quam inquirit: quam cum ſpectatiui generis eſſe cognouerit, ſimul etiã intelliget, ſe ueritatẽ circa naturales res oportere inueſtigare. Contemplari ergo incipiet rerum naturaliũ differentias, ſtatimq; illi occurrent res compoſitæ, ceu ſub obtutum ipſum ſenſumq; cadentes. Quarum uarietatem admiratus, eas in certa genera referre conabitur, ſingulaq; genera ſeorſum ſpeculabitur: quod cum fecerit, uidebit in omnibus quædam communia, quorum etiam ſibi notitiam neceſſariam cognoſcet, ut ſine quibus priora non adhuc perfecte ſint cognita. Inter communia rurſus ordinem quendam cognoſcens, ab inueſtigatione eorum

Modus inueſtigãdi ſcientiam naturalem.

non cessabit, donec ad causas, principia, & prima usq; elementa uentum sit. Quod ubi fuerit assecutus, se iam consecutum propositũ finem, id est, rerum naturalium speculationẽ cognoscet. Quam si literis eo etiam ordine, quo processit, demandauerit, quisquis commentarium huiuscemodi didicerit, eandem quam ille, naturalium scientiã nanciscetur. Ad id exempli existimo cæteras speculatiuas scientias & inueniri, & doceri posse, ita tamen ne putemus uniuersa theoremata ab ipsis primis inuentoribus esse cõperta. Sed illud potius tenendum, esse longe plura, quæ nondũ uestigari potuerũt, quàm ea quæ humano ingenio sunt adinuenta: ut adhuc uerum sit illud Aristotelicum, maximam eorum quæ scimus partem, minimã esse eorũ quæ ignoramus. Quare cum adhuc in omnibus scientijs plurima supersint inuestiganda, hoc unum longo tempore peccauerunt maiores nostri, quod inuentis stantes, oraculiq; loco habentes quæcunque à senioribus scripta erant, nihil artibus adiecerunt: quod potissimum in medicina, magna cum iactura hactenus peccatum est. Sed de hoc aliàs. Nunc aliam dubitationem absoluamus. Quærere enim adhuc circa prooemium contingit, quare Galenus duplici doctrinæ ordine, resolutiuo scilicet, & definitiuo, medicinam nobis reliquerit, compositiuum prętermiserit. Ab hac dubitatione illi se facile absoluũt, qui dicũt in libris à Galeno compositis, in fineq; artis enumeratis, si eo ordine legantur quo ab eo disponuntur, traditam medicinam esse per doctrinam compositiuã: ad quod probandum tali utuntur argumento: Ille ordo non est resolutiuus, nec definitiuus, est ergo cõpositiuus. Nos autem licet non negemus in illis ordine, quo recẽsentur, lectis agnosci quandam compositiuæ similitudinem, non ea tamen mente à Galeno conscriptos credimus, uel recitatos, ut medicinã nobis traderet per doctrinã compositiuam, nec eodem esse ordine scriptos quo recitantur, alioqui

Dubitatio sexta.

Opinio Leon.

Ratio prima contra Leon.

alioqui neque ſtatum ipſemet, ac firmũ ordinem in eis agnoſcere uidetur, cum dicat librum De potentijs naturalibus poſſe abſq; diſcrimine poſt librum De elementis, uel poſt librum De temperaturis legi, atque poſt illum, libros in quibus de operationibus agitur, ſimulq; eos, in quibus de diſſectionibus, quos tamen iuxta reſolutiuũ ordinem, in libro De conſtitutione obſeruatũ, oporteret in compoſitiua eſſe ultimos, ſicut in illo ſunt primi. Sed & faſciculus ille commentariolorũ nullo ordine aut inuicem, aut cum alijs coniunctorũ, connumerationem potius quàm ordinem à Galeno cuſtoditam oſtendit. Faſciculus ille dico, in quo libelli De præincipientibus cauſis, medicinali experientia, attenuante uictu, uenarum ſectione, tumoribus præter naturã, multitudine, ſimul cum quibuſdam alijs, cognitu, ut ipſe dicit, utilibus continentur: quos in certum ordinem cum alijs non digeſſit, ut cuius propoſitũ eſſet, non compoſitiuam doctrinam facere, uel oſtendere (nulla enim ad hoc eum cogebat neceſſitas) ſed potius libros abſq; ordine, ut præſtabatur occaſio, conſcriptos, enumerare, in quibus fuſius & locupletius ea inueniri poſſent, quæ hic breuiter & conciſim erant conſtricta: adeò ut fruſtra laboraſſe illi uideantur, qui per duplicem compoſitorum pharmacorũ maneriem, tollere cõtradictionem credunt quę circa libros De cõpoſitione pharmacorum ordinãdos inter Galenũ hic, & ipſummet in libro Therapeutices eſſe putant, cum hic libros De compoſitione pharmacorũ, arti curatiuæ præponat, in ipſa uero curatiua arte poſtponat. Tollere autem hanc cõtradictionem putant dicentes, rationem componendi pharmaca eſſe duplicem: quandam immutabilem, ut Theriaca, & hanc antecedere: aliam mutabilem, quæ pro arbitrio quotidie à medicis fit, et hãc eſſe poſteriorẽ. Sed nónne uident quod ad eandem artis partem ſpectat, omnium medicamentorũ compoſitionem docere, ſiue illa immu

Secunda ratio.

tabilis, siue pro arbitrio uariari possit: medicosq; quicunque de compositis pharmacis scripsere, simulatque eodem cõmentario, de utroq; genere pertractasse: Plura hic adderem, nisi uererer me frustra laborasse, pariterq; posse conuinci: qua certe culpa non uacuũ esse me cognosco. Ignosci tamen mihi à lectoribus spero, cum eos bis antea monuerim, ut si ad utiliora cõtendunt, in hæc ne diuertant.

Absoluti tandem à procemio, Tractatũ ipsum cum Dei auxilio aggrediamur: unum præfati, quod sectiones recentiorũ facturi non sumus, sed prout congruere nobis uidebitur, modo longiores, modo breuiores particulas exponẽdas proponemus. Nũc definitionẽ medicinę, simul cũ Galeni declaratione accipias, quę talis est:

GALENVS.

Medicina est scientia salubriũ, insalubrium, & neutrorum. Non differt autem si ęgrotatiuorum quis dixerit. Nomen uero scientiæ cõmuniter & non proprie audire oportet.

MANARDVS.

Quanquam hæc definitio Herophili fuerit, ut ex Introductorio & libro salubrium sexto aperte colligitur, nec à Galeno usquequaq; probata, sicuti inferius ostendetur, placuit tamen Galeno ea hoc loco uti, ueluti uale de nota, et satis cõmode suo proposito seruienti: in qua scientiæ nomen (quemadmodum ipse dicit) communiter accipere oportet, ut factiuas etiã artes qualis est medicina, cõprehẽdat. Non proprie, ut uidelicet ex aduerso contra artem distinctũ, & ueris scientijs tantummodo conueniens. Sic enim exponere debes illud aduerbium *communiter*, nec Drusiano credere, qui quasi pueris, prima dialecticæ rudimenta discentibus, locutũ, uoluisse declarare Galenum putat, quod scientiæ nomen, in ea definitione, locum generis teneat. Salubriũ dixi

& ægro-

& ægrotabilium, non ſanorum & ægrorum, ut cõmunis habebat interpretatio, quę occaſionẽ Gentili, aliijsq́ permultis grauiter errandi præbuit, ueluti inferius late demonſtrabitur. Differt enim ſalubre à ſano, & ægrotabile ab ęgro: quia ęgrotus is dici ſaluber poteſt, ſanus minime: ſicuti ſaluber aliquis, ægrotus, & aliquis ægrotabilis ſanus. Non enim quod iam actu ſani ſint ſalubres dicuntur, ait in prædicamentis Boẽtius: ſed quod ſani eſſe diutius poſſint. Naturalis enim quædam potentia eſt ſalubritas, teſte Ariſtotele in prædicamẽtis: ſicuti naturalis impotentia ægrotabilitas: à qua ægrotabilis nominatur, non qui actu ægrotat, ſed qui naturali quadã infirmitate ac imbecillitate paratus eſt ægrotare: à qua habilitate dici etiã morboſus poteſt. Et propterea addit Galenus, nihil differre ſi quis pro uerbo ęgrotabiliũ ſcribat morboſorum. Vocabulũ autem ęgrotabilium ſi qui ueluti parum latinũ non probauerint, fateor ingenue me nunc magis latine græcam uocem interpretari neſciuiſſe. Quod ſi adhuc moleſtare me pergãt, Galeni clypeo me tutabor: Non eſſe mihi ſermonem, dicens, ad eos qui latine loqui, ſed ad eos qui medicinam uolunt addiſcere: & hæc quidem ſit mihi in toto opere hac in accuſatione unica apologia.

Hæc eſt medicinæ definitio, ex qua uniuerſa huius libri doctrina dependet, ſatis, ni fallor, quo ad literam declarata: ſed tamen uberioris doctrinæ gratia, aliqua ad huc circa eam per modum dubitationum inueſtigabimus, quæ ſolent hoc loco diſputari. Primo, an medicina ſit ſcientia. Antiqua quippe fuit iſta dubitatio. Nam methodici, ut in Introductorio ſcribitur, uniuerſam medicinam eſſe ſcientiam putarunt. Eraſiſtratus, eſſe in ea addiſciplinabile, id uidelicet quod cauſas & materiam inquirit: eſſe & quoddam coniecturale, curatiuam ſcilicet & indicatiuã partes. Vtroſq́ autor illius libri, methodicos tamen magis, reprehendit, quiſquis ille fuerit:

non fuisse enim Galenum alibi probauimus. Galenus in lib. De constitutione artis medicinalis, & in eo cui titulus est De optima hæresi, alijsq; multis in locis, artem factiuã putauit, sicuti eam quæ domum uel nauim facit, atq; id genus cæteras, quas nemo scientias putat. Idem sensit Auerr. primo et septimo libri sui medicinalis, quẽ Colliget appellauit, atq; in duobus locis primę philosophiæ. Idem Ammonius libri prædicamentorum caput de qualitate enarrans, atq; in procœmio quinq; uocum Porphyrij, et Eustratius primo moraliũ. Auicenna methodicos in hac parte secutus, utranq; medicinam, tam illam scilicet quæ principia speculatur, quam theoricen uocãt, quàm illam quæ modũ operãdi docet, quam practicen, scientiã esse contendit. Auicennæ magna ex parte recentiorũ turba consentit, putans medicinã & scientiam & artem dici posse, neque duo hæc inuicem pugnare, nisi utrunq; pressius accipiatur. At si alterum latius, alterum pressius intelligatur, posse utraque eidem rei coaptari, sicq; nihil uetare quo minus medicina ars simul & scientia dici possit. Quibus consentire in procœmio secundi libri problematum Alexander uidetur, in se esse scientiam dicens: materiæ uero ratione, artem.
Nos Galeni hærẽtes sententiæ, posse aliquo modo dici scientiã non negamus: proprie tamen & absolute esse artem putamus, cum sit habitus recta ratione factiuus, & non sit eorum quæ necessariò fiunt, sed finem suum, hoc est sanitatẽ, contingenter nanciscatur: quæ arti aduersus scientiam distincte sexto moraliũ adscribit Aristoteles. Atq; circa generationem, hoc est, res quæ fieri à nobis possunt, non circa esse, id est, res necessarias uersetur: quo etiam discerniculo in fine postremorũ resolutiuorũ artem à scientia Aristoteles separauit. Non enim Aponẽsi in hac parte standũ, differentia tertia sui Conciliatoris exponenti, Artem esse circa generationem, id est, appellari artem dum inuenit: scientiã circa esse,
id est,

id eſt, ubi iam inuẽta ſit: ut propterea ſecũ fateamur medicinam ab Hippocrate eam faciente, dici potius artem potuiſſe, quàm à nobis: cõfiteri enim pariter oporteret omnem ſcientiã eſſe artem dum inuenitur, & omnem artem ſcientiã dum eſt inuẽta: quod certe eſt ualde ridiculum. Non poteſt etiam medicina ad aliquam philoſophiæ partem referri: quod enim neque ad mathematicam, neq; ad diuinam, ſatis per ſe euidens eſt. Sed quod neque ad naturalem, Ariſtotelis uulgata ſententia conſtare poteſt, inde dicentis medicum exordium capere, ubi deſinit philoſophus naturalis. Quod non ita intelligendum eſt, ut negetur eiſdem de rebus utrunq; conſiderare, cum de ſanitate & morbo inter ea quæ parua naturalia uocant ſcripſerit Ariſtoteles, ſecundoq; de partibus animalium dixerit, ad naturalem philoſophum attinere aliquo modo de cauſis morborum pertractare. Quod primo quoq; Therapeutices affirmauit Gal. & ſecundo libro Anatomicarũ aggreſſionũ, ait diuerſam utriuſq; eſſe circa diſſectiones conſiderationem: medicumq; ea tantummodo conſiderare quæ ad opus conducunt, nudam uero ſpeculationẽ ad philoſophũ pertinere: quod primo Colliget ſcripſit Auerrois. Verum quoniam (ut ſcribit Celſus) primi medicinæ inuentores fuere philoſophi, medicina ab antiquis ſapientiæ pars credebatur, donec eam à philoſophia ſeparauit Hippocrates. Sed quoniam & ipſe philoſophus fuit, nonnulla quoque philoſophica ſuæ immiſcuit medicinæ, licet ad ipſam profeſſionẽ contracta, ſicuti quando in libro elementorum et de natura humana, corpus humanum ex elementis cõpoſitum probauit, quia doleret. Poſteriores quoq;, & hi præſertim qui rationalem ſectam profeſſi ſunt, quoniam & ipſi philoſophi, & quandoq; magis quàm medici, multa philoſophica interdumq; dialectica immiſcuerunt: quæ medicinam quidem ipſam uenuſtiorẽ reddunt, ſed à proprio fine multum diuer-

tunt, medicosq; maiori admirationi, sed non propterea meliores reddũt, cum differendi illis potius adsit quàm curandi peritia: & propterea eos à Galeno omnibus in locis reprehendi uidemus. Indeq; natum puto, ut medicina inter scientias à multis numeretur: quoniam qui eam, ut nunc scripta est, discere cupiunt, liberales artes omnes et uniuersam philosophiam callere opus sit: licet ipsa per sese medicina ars, & nõ proprie sciẽtia sit dicenda. Quod si quis eam uerã esse scientiam cõtendat, quoniam in ea ueræ demõstrationes fiunt, metas etiã ipsius aliquando non excedentes, sicuti ea, quam suprà ex libris Hippocratis elementorũ, & de natura humana attulimus: & illa qua pueros plurimo egere nutrimento primo aphorismorum ostendit, quia innatum calorem plurimum habent: aliæq; pluribus in locis non parum multæ: quarum causa Galenus tum in fine huius libri, tum alibi sæpe, instructũ esse in demõstrationibus eum oportere mandat, qui sit ad discendam medicinã accessurus: Dicam, quod sicuti ordinatio ad opus facit medicinam non esse proprie scientiam, sed solum communiter: ita demonstrationes suas non proprie, sed communiter dici demonstrationes, sicuti quinto libro sui Colliget, cap. octauo, uoluit Auerroes. Si quis uero neget ordinationẽ istam ad opus auferre nomen uerę scientię & demonstrationis, is fateri cogetur, omnes sellularias uilesq; artes ueras dici scientias debere, & ueras facere demonstrationes, cum et in illis multa per causas & per effectus probent. Quod si hi qui eas professi sũt, sicuti hi qui medicinam, dialectici & philosophi fuissent, multa quoq; indidem in illas transtulissent. Et si quis adhuc resistat, quoniam ordinatio eiusmodi ra ionem scientiæ ab Aristotele primo lib. postremorum resolutiuorum non uidet auferre, quę est rem per causam cognoscere, & quod illius est causa, & quod non cõtingit aliter se habere; Respondebo, per hanc ultimam particulam artes

omnes

omnes à uera ſcientia excludi: quoniam cum ſit habitus factiui, & ad extrinſecum opus ordinati, finis intentiones non neceſſariò conſequũtur, nec ſunt de his quę neceſſariò fiunt, ſicut ex ſexto moraliũ ſuperius oſtendimus: & propterea id de quo ars eſt, aliter habere cõtingit. Et ſi adhuc non uis cedere, dicẽs, multa eſſe in medicina quæ non ita ſecũ habẽt illam ad opus ordinationẽ, quin ſine illa poſſint demonſtrari: confitebor utiq; ueras illas eſſe demõſtrationes, ſed ita à medicina ſicuti ab eius genere, id eſt, ab artis ratione decidere, & ad naturalem philoſophiam conſcendere: tam annexum enim eſt opus, ut dici medicus nõ poſſit, ſed altero crure claudicare, cui operatio deeſt: ſicuti uoluit in libro De conſtitutione artis medicinalis Galenus, et primo, tertio, ac nono lib. Therapeutices, ut Zoarẽ & Razem Arabes prætermittam. Quare ridendus Druſianus uidetur, qui medicatiuã à medicina ſic diſtinguit, ut hæc ſcientia ſit, illa ars factiua. A medicina enim medici nomẽ, nõ à medicatiua per denominationẽ deducitur: & utroq; nomine indiſcrete Galenus utitur, quod ex inſcriptione ipſa libri de partibus artis medicatiuæ licet cognoſcere, in quo non minus ea quæ ad cognitionem, quàm ea quæ ad operationẽ attinent comprehenduntur. Nec minus deriſui patet cum Ariſtotelẽ ſe putat ſequi, dicendo totam medicinã eſſe ſpeculatiuã, ſed non ſpeculandi gratia: non enim de moribus ita ſecundo moralium loquitur Ariſtoteles, ſed quod opus illud non contemplandi gratia, ſicuti cætera, aſſumitur, ſed ut, quod aliàs ſcripſit, ſimus, non ut ſciamus. Nec uelim uitio mihi uerti, quaſi de medicina peſſime merito, quoniam eam in artium numero repono: quo leguleij infringere nobis ſolent: quaſi uile ſit artes profiteri uocariq;, quod ipſi dignantur, magiſtros. Nomen enim artis adeò nobilẽ ſignat, ut imperatoria quoque dignitas, qua nulla aliquando in terris maior fuit, Quintiliano teſte, artis no-

mine censeatur. Nec dignitatem artis nomen abrogat medicinæ, quia sit uilioribus communis: sicuti nec hominis nomen regibus, quia sit illis cum plebecula commune. Alioqui de se nobile quid ars repræsentat, cum qui arte pollent, ea carẽtibus semper præponant. Non solum autem artem dicimus esse medicinã, sed artium nobilissimam, quam & rhetorica maiorem libro De artis medicinalis constitutione facit Galenus. Magistri etiam dicuntur non solum qui iam medicinã tenent, sed et qui ad ediscendam eam accedũt, quia scilicet aliarum disciplinarũ magistri esse debẽt, ut bene scripsit Apon. qui medicorũ scholas petituri sunt. Quantæ uero præstantiæ magistri nomen sit, & magistratus Ro. & magistri equitum, & magni magistri apud Galliarum reges adhuc custoditũ nomen ostendunt: & quod maius his omnibus est, quod rex regum CHRISTVS, magistri nomen non recusauit. Valere igitur cum suis ambagibus leguleios sinentes, nobilissimę artis magistros dici non erubescamus. Sed iam uideo in hac me dubitatione fuisse longiusculum, secundã breuius expediamus.

Medicinã non esse proprie scientiam, præteritus sermo demonstrauit: nunc an theorica, uel practica, uel utraqꝫ dici possit, uideamus. Galeno ergo quoqꝫ hic hęrentes, sicuti eam etiam proprie scientiam negauimus, ita nec theoricen nec practicen proprie loquendo affirmamus. Exigit enim ratio, ut à quocunqꝫ genus, ab eodem & species submoueatur. Nec si totam factiuã esse fatemur, practicen propterea dicere cogimur: practica enim à praxi deducitur, quæ uox latine actionẽ significat: quã esse aliud à factione, septimo libro primæ philosophiæ Aristoteles testatur. A praxi uero, id est, ab actione, morales scientiæ practicę uocantur. Aliquid tamen esse in medicina non inficiamur, quod aliorũ comparatione theoricum dici possit, quod & in libri theologicarum sententiarũ procœmio Scotus quoqꝫ testatur,

totam

totā medicinā practicen uere esse dicens, haberi tamen in ea, ad quod dici aliquo modo theoricū possit: licet & ipse practici nomen non bene intellexerit, quę res multa eum de praxi superfluò scribere, ne dicā male, coēgit. Nemo autem neq; hic neq; alibi in hac mea commentatione Auicennę autoritatē mihi opponat, eum enim in autorum medicinæ catalogo minime me habere profiteor, sed scriptorum qui aliorum dicta collegerunt, ut aliàs quandoq; scripsi, & aliquando deo optimo maximo aspirante latius explicaturus sum. Quod temeritati nemo bonus mihi adscribet, maxime ubi de Galeni agitur opinione: non enim ab Auicenna secedo, nisi quando uel Galeni sententia, uel inuincibilis ratio, uel ipsa rei aperta ueritas me cogit dissentire. Mouet autem me hac in materia Galeni autoritas, totam medicinā factiuā uel refectiuam ubiq; prædicantis, neq; aliquando diuisionem in theoricen & practicen facientis. Quam certe diuisionem si in aliquo honore habuisset, non erat in lib. de partibus artis medicatiuæ, ubi aliarū quoq; sectarum diuisiones ponit, prætermissurus: ut propterea non immeritò Aureolus theologus inter Parisien. nō uulgaris eam impugnasse uideat. Si quis tamē obstinato omnino animo eam defendere uoluerit, Auicennę, Haliabatis, & eius qui in librū de hęresib. cōmentaria scripsit autoritatib. innixus, non magnopere repugnabimus, modò uicissim nobis condonet, ita improprie dici uel theoricen uel practicē, sicuti improprie etiā scientia nuncupatur. Quod si Galenum obijciat in fine libri De constitutione artis medicinę speculatiui et ministratiui mentionem habentem: dicemus, quod per speculatiuum considerantem medicum circa facienda, per ministratiuum iam facientem intellexit. Omnem uero speculationem quæ abopere semota est, ad physicum spectare cap. eiusdem libri xiij. ita affirmat, ut considerare quid facere & quid non facere natura possit, ad theoricā phy

ſicam dixerit pertinere. Et quinto ſimplicis medicinæ, problema id eſſe etiã naturale dixerit, quo quęrit, quare thapſia, & quædã alia, in aliqua iuuent diſpoſitione. Et de ſecũda quæſtione tot pro nunc breuiter dicta ſint.

Tertia non minor circa definitionem occurrit dubitatio, an corpus inueniatur quod neutrum dici poſſit. Repugnare enim huic neutralitati Ariſtoteles uidetur, cum in Prædicamentorũ libro ſanum & ægrum inter contraria medio carentia connumerauerit. Arabs Galeni expoſitor nullam inter eos diſcordiã credidit, quia formam mediam quam Ariſtoteles negauit, nec Galenus poſuit, ſed medium per extremorum participatum, quod nec Ariſtoteles ipſe negare poteſt. Huius Arabis errorem inferius oſtendemus, monſtrantes Galenum formam ipſam poſuiſſe. Recentiores (ut ſolent) per duplicem ſani & ægri ſignificatum, (quam definitionem appellant) more malorum iudicum qui ab utroque litigantium aliquid accipientes & alterum condemnantes litem dirimunt, diſcordantes ad concordiã ducere credunt: quorũ ſententiã recitare breuitatis gratia ſuperſedeo, liberam unicuiq; poteſtatem tribuens eam apud ipſoſmet lectitandi. Nobis alia uia incedendũ, ut primo oſtendemus ex aliena potius quàm ex propria ſentẽtia Galenum hanc neutralitatem poſuiſſe. Deinde etiam ſi eam acceptauerimus, ab Ariſtotele minime deuiare. Primum iam ex parte probauimus, oſtendentes definitionem hic poſitam non Galeni, ſed Herophili fuiſſe: nunc ſuperaddimus Galenum primo ſimplicis medicinæ dicentem: Neutrum ſic diſtinguit Herophilus. Et ſexto ſalubriũ: Herophilus appellauit illã tertiam diſputationem neutralitatem. In libro quoq; de partibus artis medicatiuę primo, ponit ſub dubio an detur neutralitas. Deinde capite tertio dicit ſe demõſtraſſe, quod tantum duæ ſint diſpoſitiones, ſanitas & ægritudo: ubi tamen hoc demonſtrauerit, nec ipſe expreſſit, neq; mihi

locus

locus occurrit ubi aperte demõstret: sunt multa tamen eius dogmata, ex quibus cõcludi id posset. De differentijs morborum sic scribit: Si naturalis constitutio est sanitas, eius contrarium erit morbus, id est, non naturalis constitutio. Ex quibus uerbis non difficile est colligere inter sanitatem & morbum non dari mediũ, cum inter naturalem constitutionẽ et non naturalẽ, cum sint contradictoria, medium inueniri non possit. Eodem quoq; libro parũ infra ait: Sanitas est moderatio, morbus immoderatio, quæ duo etiam cõtradictoriarũ locũ tenent, & propterea medio carent penitus, sicuti æqualitas & inæqualitas, in quibus secundum Aristotelem cõsistere sanitatem & morbum putauit Drusianus, & propterea medio apud eum carere. Vnde ex Galeni dictis patet ipsum Drusianum et alios recentiores frustra laborasse, concordare Aristotelem & Galenũ per hoc uolentes, quod ille per contradictoria sanitatẽ & morbũ definierit, hic per sensibilem & insensibilẽ læsionẽ, uel per perfectissimas & imperfectissimas operationes: quando, ut ostendimus, Galenus quoq; per contradictoria definiuit. Sed & primo libro de locis passis, quem interiorũ communiter nunc uocant, soluens quæstionem multis quæ in uita accidunt, ut dicit, cõmunẽ: An res uidelicet dum incipit fieri, eiusdem sit naturæ cum seipsa quando perfecta erit. Quantum ad medicinam attinet, dicit morbum incipientem, & præ sui exiguitate non solum medici, sed & ægroti ipsius sensum effugientẽ, eiusdem esse naturæ cum morbo iam perfecto: commune enim hoc esse rerum omnium quorum partes sunt similares. Secus autem euenire in rebus dissimilares partes habentibus, sicuti in domo, quæ dum fabricari incipit, iam non est domus. Quod Galeni dictum si cui forte repugnare uidetur quibusdam ab eo inferius dicendis, is tantisper expectet, quoad expositio nostra illa attigerit loca. Nunc sat sit nobis ostendisse, secundũ Galeni sen=

tentiam, insensilem illam læsionem, quam recentiores neutralitatem uocant, apud Galenum morbum existimari, nec ex eius sententia in alijs libris aliam neutralitatem esse ponendam. Iam aliud quod promisimus absoluamus, ostendentes ex neutro hic posito, Aristotelis in prædicamentis sententiam non destrui. Hoc facile intelligi potest, si ea quæ circa literæ expositionem diximus, in memoria habeant: statim enim cõstabit neutrum hic positum non esse illud medium quod in prædicamentorum libro negatur, cum extrema utrobiq; sint diuersa, hic quidem salubre & ægrotabile, ibi sanum et ęgrum. Diuersa dico non solum quo ad uocem, sed etiam quo ad rem ipsam, ut ostendimus, significatam. Quare euidenter concluditur, aliud esse neutrum quod hic ponitur, aliud medium quod ibi negatur. Quod si quispiam salubris & ægrotabilis rationes perpẽderit, non esse inter ea talem repugnantiã animaduertet, ut mediũ non admittant. Salubre enim corpus dicitur, quod naturalem quandã potentiã habet ut sanitate fruatur: Aegrotabile uel morbosum, quod ex naturali impotentia habet, ut facile à morbis molestetur. Nihil autem prohibet mediocria quædam corpora inueniri, quæ uel neutri extremorum uel alteri, ratione alicuius particulę, uel aliquo in tẽpore, alterius particulæ ratione, uel alio tempore subiaceant. Sed de his latius infra. Tempus est ut aliam dubitationẽ absoluamus. Ambigua enim adhuc remanet definitio, quoniam Auicenna & Auerroes ei repugnare uidentur, ille quidem tacite, hic aperte. In eo enim quod Auicenna, qui se multis in locis Galeni interpretem fatetur, aliqua huic definitioni addidisse deprehenditur, hanc tacite explosisse uidetur. Duo sunt quæ ei deesse credi possunt, quæ per illam quam dedit Auicenna corriguntur. Vnum, quia à mulomedicina non distinguitur, cum & ipsa sit scientia sanorum, ęgrorum, & neutrorũ. Nec putet quispiã per illud uerbum scientia,

Corpus salubre.

Aegrotabile.

ſcientia, hanc fieri diſtinctionē: quoniam æque illa ſicut & noſtra dici ſcientia poteſt: nec perfecte tradi, niſi multa ex philoſophia ad eam trahantur. Alius euidentior defectus eſt, quod à naturali nō diſtinguitur, cum, ut ſupra oſtendimus, ſanum & ægrum naturalis philoſophi conſiderationem non ſubterfugiant, ſed neq; neutralitas, ſi tamen ipſa inuenitur. Ad amouendam ergo mulomedicinā addidit Auicenna, humani corporis: quod uerbū in arabica artis medicinalis æditione neſcio quomodo additū. Arabs expoſitor ad eundem finem appoſitum dixit. Ad diſtinguendum à naturali, addit ea uerba, ut amiſſa ſanitas recuperetur, et habita conſeruetur. Naturalis enim non idcirco ſanitatem conſiderat ut faciat uel cōſeruet, ſed ut quādam naturalis corporis proprietatē. Auerroes utranq;, tam eam ſcilicet quæ à Galeno poſita eſt, quàm eam quæ ab Auicēna, pariter notauit, tanquam non declarantes cuiuſnam generis ſit medicina, quia uidelicet non per proprium genus, nec per propriam differentiam aſſignatur: quas corrigendo ſexto ſui Colliget ſic definit: Medicina eſt ars operatrix, ratione & experimento inuenta, ſanitatem conſeruās et remouēs ægritudinem. Et primo libro parum differenter: Ars operatrix exiens à principijs ueris, per quam quęritur ſanitatis cōſeruatio, et amotio ægritudinis. Nos qui definitionem hanc Galeni eſſe non credimus, defendere illam ab impugnatoribus non tenemur: ſed potius hanc: Medicina eſt adiectio & ablatio: quam Hippoc. aſſignauit, & Galenus ſecundo & undecimo Therapeutices comprobauit. Verum cum aliàs à Gentilis calumnijs tutati ſimus, non ab re fuerit et hanc ſi quo modo ualemus defendere, cum ea Galenus utatur, & uniuerſa huius libri doctrina ab ea depēdeat, cuius exponendi officium ſumpſimus. Dico ergo primo ad Auerroem, in medicinalibus definitionibus ex Galeni ſententia libro quarto De pulſuum differentijs, exa-

ctam adeò definiendi normam non requiri, sicuti in his quæ ad primam uel naturalem pertinēt philosophiam, multoq́ minus in his quæ artibus præponuntur quas uolumus per doctrinā definitiuā explicare. Satis enim est ut generales artis partes ita per eam comprehendantur, ut ex his ad omnia particularia artis theoremata descendi possit. Cui rei cum hęc optime subseruiat, ut processu operis patebit, suos numeros habere dignoscitur: satis tamen proximum genus explicat, si cōmuniter & non proprie, ut Galenus uoluit, scientiæ nomen audiatur. Quod uerbū licet mutare Galenus noluerit, ne ueteri sermone prolatam definitionem (Sic enim de ea dicitur in libro De sectis) correxisse uideretur, æditio tamen Arabica propriū genus exprimere cupiēs, barbara quædā uerba superaddit. Distinguere à naturali antiqui non curarunt, quoniam fortè adhuc quo tempore hæc cœpit definitio, sapientiæ pars medicina habebatur: mulomedicinam multo magis neglexerunt, ut quę in consortium disciplinarum, quæ à sapientibus tractabantur, pedem ferre non auderet. Et ad hunc quidem modum antiquitatem sat sit defendisse. Iam Galenum ipsum audiamus.

GALENVS.

Salubre autem & ægrotabile & neutrum tripliciter singulum dicitur, hoc quidē ut corpus, hoc ut causa, hoc ut signum. Susceptiuum sanitatis corpus, ipsiusq́ factiuam & custoditiuam causam, demonstratiuum signū, uniuersa hæc Græci salubria uocant. Ad eundē modū ægrotabilia susceptiua morborū corpora, factiuasq́ eorundē & custoditiuas causas, ac demonstratiua signa. Neutraq́ eadem ratione & corpora & signa & causas.

MANARDVS.

Posita declaratacq; definitione, reliquum erat ab eius partibus ad artis partes descēdere, quod recte fieri absq; diuisione non poterat, uia huic negocio (ut suprà ostendimus) appositissima. Per hanc ergo Galenus progrediens miro artificio inaccessibiliq; breuitate, differentias omnes in definitione positas simul trimembri diuisione partitur, per corpora, causas, et signa, ut ex his breui sermone nouē artis primaria capita colligamus, salubria uidelicet, ægrotabilia, & neutra corpora: salubres, ægrotabiles, & neutras causas: salubria demum, ægrotabilia, & neutra signa: quam quidem tripliciter triplicem diuisionem non aliter probat, quàm ex communi loquendi Græcorum consuetudine: quo probandi genere aliquādo usum Aristotelem uidemus, satis initijs maxime accommodato, ut in quo communis sit populi consensus. Verum & Aristoteles ipse in libris primæ philosophiæ multiplicem hunc significatum in sanis agnoscit, sed per analogiam, hoc est, proportionem quandā, ut primo de corporibus, deinde de lotio alijsq; prædicetur. Vsurpatur temporibus quoque nostris loquutio hæc, ut nedum animalia, sed aēra, uētum, cibos, & id genus cætera, salubria uel morbosa nominemus. Necessario etiam omnia hæc in considerationē medici ueniunt, ordine tamen quodam, quem ostensurus Galenus statim subdit:

GALENVS.

Et est secundum primam quidem rationem medicina scientia salubrium causarum, per has uero iam & aliarum, secundo ægrotabiliū, tertio neutrarum: atq; post hæc corporum, primo quidem et hic salubrium, deinceps morbosorū, postea neutrorum. Et de signis eadem ratione.

De ordine nati-

MANARDVS.

Quoniam, ut in proœmio patuit, una ex ordinatis est huius libri doctrina, propterea non satis uisum fuit Galeno ostendisse nouem illa superius enumerata, in consideratione medici uenire, nisi etiam ostenderet, quemnam ordinem inter sese obseruarent. Duplicem autem inter hæc ordinē uidetur cognoscere, quorū unus naturæ, alter operi innititur. Naturalē hac in parte ostendit, in quo etiam duplicem innuit cōparationem, causarum uidelicet ad duo reliqua, hoc est, corpora & signa, & dispositionum inter se, id est, salubritatis, ægrotabilitatis, & neutralitatis. In prima comparatione causis primum locum concedit, secundum corporibus, tertium signis. In secunda salubribus primum, secundum morbosis, tertiū neutris. Primi ordinis ratio in promptu est. Si enim naturam sequamur, causæ priores corporibus sunt: siue absolute loquamur, si salubres causas salubribus corporibus, morbosas morbosis, neutris neutras cōponemus. Causa enim in eo quod causa, prior semper effectu existit; ipsaq; corpora signis cōparata priorum rationem tenent, cum omnia signa illorum respectu, accidentium rationem subeant, licet signa inter se comparādo substantialia nominentur, ut suo loco inferius uidebimus. Meritò ergo dixit Galenus, secundum primam rationem, hoc est, secundum quod ratio ipsam rei naturā sequens repræsentat, medicinā causarū scientiā esse: secūdo corporū, tertio signorū. Iure merito etiā salubria ægrotabilibus neutrisq; præposuit: quia preter id quod præcipuē est inter ea quæ in medici considerationē ueniunt, rationem etiam positiui & perfecti cuiuspiam includit salubritas, duorum reliquorum comparatione: inter quæ duo ægrotabilitas etiā precellit, ut sine qua neutralitas non possit intelligi. Naturalis ergo hæc est series; sequitur ordo respectu operationis.

Signa substantialia

GALENVS.

At in operibus prima quidem corporum ex ſignis dignotio, poſt hæc autem cauſarum quæ in ipſis ſunt inuentio.

De ordine operandi

MANARDVS.

In operib. artis ordo quaſi præpoſterus naturali cernitur: priora enim quodammodo ſunt ſigna, quoniam per ea corpora eorumq; affectiones cognoſcimus: ultime occurrunt cauſæ ut quas per ſigna & corporũ affectiones inueſtigamus. Diximus ſigna quodãmodo non abſolutè eſſe priora, quoniã ipſa quidem corpora ei qui operari circa ea debet in primis ſe offerunt: ſed quia cognoſci niſi per certa indicia non ualẽt, ideo ſigna primũ ſibi locum uendicant. Ad quod denotãdum, Galenus utraq; commiſcuit, dicens primam eſſe corporum per ſigna dignotionẽ. Hoc autẽ exemplo fiet manifeſtius. Medico primo quidem ſe offert corpus ægrotum: ſed quia agnoſcere aliter quàm per ſigna ęgritudinem non poteſt, ideo ad hæc ſe conuertit, et ſic quodãmodo ſigna præcedunt. Vltimo cauſæ occurrunt, quia abſq; his curari corpora non poſſunt. Nec credendũ eſt Arabi expoſitori & Druſiano eum ſequẽti, putãtibus Galenum in his duabus particulis, hac uidelicet, et ea quã ante hãc expoſuimus, uoluiſſe monſtrare quod initiũ cognitionis eſt ultimum operationis, & initium operationis ultimum cognitionis. Si enim in priore particula (ut uolũt) de cognitione loquebatur, non erant cauſæ ponendæ primæ, ſed potius ultimæ, & corpora prima: hicq; non corpora primum locum, ſed cauſæ uendicabant. Nam ut oſtẽdimus, menti medici primo occurrit corporum per ſigna dignotio, ultimumq; ægrotantium cauſæ locum tenẽt: operatio uero ipſa à cauſis, non à corporibus exordiũ capit, & in corporũ diſpoſitiones, non in ſigna deſinit. Opus igitur hoc loco intelligere nõ actũ ipſum

Opus id ſit

& operationē medici cum congruis & opportunis auxilijs, ſed inueſtigationem & conſilium quod operationem rectam præcedit. Nam Ariſtoteles ſeptimo primę philoſophiæ, & tertio moraliū, ubi per exempla oſtendit, id quod eſt principium in intentione, eſſe ultimum in opere: & è contrario ſanitatem quidem quæ in corpore fieri debet, primam eſſe dicit in cognitione; cauſam uero eius ultimam in cognitione, primam dicit in opere, nec cauſas aliquo modo primas dicit in cognitione. Sed & proceſſus ipſe Gale. undecimo Therapeutices, in cauſas deſinit tanquam in ultimas in cognitione, atq; in ipſo curandi opere primas. Non ergo definitionem hic ponere Galenus uoluit inter cognitionem & opus, ſeu ut Ariſtoteles uocat, inter intelligentiam & factionem, ut quæ neq; ad præſentem locum pertineret, ſed ad ultimā potius libri partem, ubi de cauſis agitur. Verū nihil aliud uoluit oſtendere, quàm quo ordine Medicina dicta ſit ſcientia ſalubriū, ægrotabiliū, & neutrorū corporum, cauſarum & ſignorum: nam & hæc pertinere ad definitionis declarationem uidebātur. Ex quo tamē loco elici quoq; ordo poteſt qui in hoc libro ſeruatur, operi uidelicet potius quàm naturæ accōmodatus. Medico enim operari uolenti primo occurrūt corpora, quæ per ſigna quidē cognoſcēda ſunt. Sed eis applicari diſtinctè non ualent, niſi corporum prius maneries uariæ exploratę fuerint, ut ſua cuiq; corpori ſigna ualeant accommodari. De corporibus igitur primo loco, ſecundo de ſignis, tertio de cauſis agendum eſt.

GALENVS.

Sed quoniā & factiuum & demonſtratiuum et ſuſceptiuum ſingulum dupliciter dicitur, hoc quidē ſimpliciter, hoc uero in eo quod nunc, ſciendum ipſam medicinā eſſe ſcientiā utrorunq;.

MANARDVS.

Alias superaddit diuisiones, ut alia quoq; artis capita peruestiget. Prima est diuisio causarum, corporum, & signorum, quæ per factiua, demonstratiua & suscepti- ua significauit, in simpliciter talia, & in eo quod nūc ta- lia: quorū utraq; ad scientiā pertinere dicit medicinę: ut nouem quoq; hic capita intelligamus prioribus super- addita, & ad octodecim iam summa peruenerit. Salu- bria enim, ægrotabilia, & neutra, per corpora, signa, & causas multiplicata, nouenarium numerum perficie- bant. Quod si per simpliciter tale, et ut nūc tale, multipli centur, duo de uiginti colligemus. Vt autem sensus di- uisionis locupletius noscatur, reducenda ad memoriam est Aristotelis in libro Elenchorū sententia, de eo quod simpliciter, et secundū quid dicit. Aliquas uidelicet esse res quæ simpliciter de aliquo enunciari possunt, hoc est, absolute, & absq; alio additamēto: ut de cygno simplici- ter & absolute dicere possumus quod est albus. Aliqua quæ non simpliciter, sed quadam cum adiectiuncula, ut si Aethiopem, quem album absoluta & simplici ratio- ne dicere non possumus, quia tamen dentes albos ha- bet, secūdum quid album esse dixerimus. Et de aliqua muliere quam rubicundam absolute dicere non possu mus, quia uidelicet naturaliter impallescat, si rubor for- tè eius genas offuderit, dicemus quod nunc est rubicun da. Idem corporibus, signis, & causis cōtingit, ut quibus absolute salubritas, ægrotabilitas, uel neutralitas con- gruere non potest, cum adiectione huius notę, nūc, cō- ueniat. Sed omnia hæc clarius processu operis expo- nentur: nunc aliam diuisionem aggrediamur.

Diuisio corporū, signorum, & causarum.

Simpliciter

Secundum quid.

GALENVS.

Sed & ipsum quoq; simpliciter, bifariam di- citur: hoc quidem semper, illud ut multum, & est utrorunq; horum scientia medicina.

MANARDVS.

Alterum membrũ prioris diuisionis, id est simpliciter tale, bifariã quoq; scindit, ut aliud sit quod semper tale, aliud quod ut plerũq; tale nominetur. quę qualiter inuicem differant, inferius locis suis demonstrabitur. Nunc sat sit nosse, id dici semper tale, quod omni ex parte cõpletum in suo genere existit. Illud uero ut multũ, cui aliquid quidẽ deest, sed exiguũ adeò id est quod deest, ut ad sensum nihil deesse uideatur. Horum tamẽ (ut dixi) differẽtia ad species descẽdendo distinctius explicabit: sed prius diuisio neutrorũ aperienda est, quæ est talis:

GALENVS.

Neutrum autem, & causa, & signum, & corpus, & simpliciter, & in eo quod nunc dictum, trifariam singulum horum dicitur: hoc quidem eo quod neutro contrariorum participat, illud quia utrisq;, tertium quod interdũ huius, interdum illius est particeps. Secundum inter hæc, duobus modis dicitur: aliquando ex eo quod utroq; contrariorũ ex æquo participat, aliquando quia plus alterius est particeps.

MANARDVS.

Quid sit neutrum. Neutrum dicitur id, quod non est aliquod duorum. Neutrum ergo inter salubre et ęgrotabile, est quod nec salubre, nec ægrotabile dici potest, quũ tamen eiusdem generis sit. Quod uero aliquid sub eo genere cõtentum sub quo salubre & ægrotabile continetur, nec salubre, nec ægrotabile dici possit, uel ideo contingit, quia neutro eorũ participat: & est primus modus: uel quia utroque, & hoc dupliciter, uel diuersis temporibus, et est tertius modus: uel eodem in tempore, & hoc iterum dupliciter: uel æqualiter utriusque est particeps, & est primus modus secundi: uel alterius magis, & habes secundum

Inuestigatio modorũ neutri, à Galeno numeratorum.

dum modum ſecundi. Quum ergo non cõtingat aliter neutrum inter duo contraria intelligi, ſequitur tantum eſſe tres modos neutralitatis principales, et unũ eorum in duas partes ſecari. Suſcipi hęc pro ueris nunc uolo, licet ambiguitates quaſdam in ſeipſis habentia, quoniam ſumus ea, Deo annuẽte, inferius enodaturi. Nunc unũ addam, potuiſſe Arabem expoſitorem ex hoc loco cognoſcere, Galenũ non ſolum poſuiſſe id neutrũ quod utriuſq; extremi eſt particeps, ſed etiã id quod neutrius: quem omnibus alijs & præpoſuit, ut in quo neutralitatis ratio magis eluceſceret. Si quis autem bene computet eas quæ hic colliguntur neutralitates, trigintaſex numero inueniet: quas ſi ſalubribus & ægrotabilibus adiunxerit, quæ ſuperius inuẽta ſunt, ſumma ad quinquagintaquatuor deueniet: quæ facilioris doctrinæ gratia ſequenti pagella deſcribuntur, ordine definitionis ſeruato, ut cognoſci etiã poſſit, in tam paucis definitionis uerbis quot res comprehendantur.

SALVBRIA		AEGROTABILIA		NEVTRA *primi ſignificati.*	
Cauſæ.		Cauſæ.		Cauſæ.	
Simplr	*Semper* 1	*Simplr*	*Semper* 10	*Simplr*	*Semper* 19
	Multum 2		*Multum* 11		*Multum* 20
Nunc	3	*Nunc*	12	*Nunc*	21
Corpora		Corpora		Corpora	
Simplr	*Semper* 4	*Simplr*	*Semper* 13	*Simplr*	*Semper* 22
	Multum 5		*Multum* 14		*Multum* 23
Nunc	6	*Nunc*	15	*Nunc*	24
Signa		Signa		Signa	
Simplr	*Semper* 7	*Simplr*	*Semper* 16	*Simplr*	*Semper* 25
	Multum 8		*Multum* 17		*Multum* 26
Nunc	9	*Nunc*	18	*Nunc*	27

NEVTRA *primi modi secundi significati.*	NEVTRA *secũdi modi secundi significati.*	NEVTRA *tertij significati.*
Causæ	Causæ	Causæ
Simplr { *Semper* 28	*Simplr* { *Semper* 37	*Simplr* { *Semper* 46
Multum 29	*Multum* 38	*Multũ* 47
Nunc 30	*Nunc* 39	*Nunc* 48
Corpora	Corpora	Corpora
Simplr { *Semper* 31	*Simplr* { *Semper* 40	*Simplr* { *Semper* 49
Multum 32	*Multum* 41	*Multum* 50
Nunc 33	*Nunc* 42	*Nunc* 51
Signa	Signa	Signa
Simplr { *Semper* 34	*Simplr* { *Semper* 43	*Simplr* { *Semper* 52
Multum 35	*Multũ* 44	*Multum* 53
Nunc 36	*Nunc* 45	*Nunc* 54

Hæc est summa eorũ, quæ hactenus à Galeno inuestigata sunt: inter quæ primo & distinctius agit de corporibus: & propterea nõ ab re uidetur, corpora de quibus statim acturus est, seorsum subscribere hoc modo:

CORPORA

Salubria.	*Aegrotabilia.*	*Neutra primi significi.*
Simplr { *Semper* 1	*Simplr* { *Semper* 4	*Simplr* { *Semper* 7
Multum 2	*Multum* 5	*Multum* 8
Nunc 3	*Nunc* 6	*Nunc* 9

NEVTRA *primi modi secundi significati.*	NEVTRA *secũdi modi secundi significati.*	NEVTRA *tertij significati.*
Simplr { *Semper* 10	*Simplr* { *Semper* 13	*Simplr* { *Semper* 16
Multum 11	*Multum* 14	*Multum* 17
Nunc 12	*Nunc* 15	*Nunc* 18

Hæc sunt corpora duodeuiginti, quæ omnia præter ægrotabile ut nunc, latitudine sanitatis concludunt, sicuti ostendemus ubi prius per certas definitiones singulum fuerit declaratũ: ad quas definitiones anteaq̃ accedat Galenus, una m adhuc mouet & remouet dubitationem. Ait enim:

GALE

GALENVS.

Eſt autem & uniuerſæ definitionis, ſecundũ locutionẽ quędã ambiguitas, quam & ipſam diluere opus eſt. In eo enim quod medicina ſcientia eſſe dicitur ſalubrium & morboſorũ & neutrorum, ſignificatur quidem quod omniũ particularium, & quod aliquorũ: ſignificatur & qualium. Sed quod omnium quidem, indeterminatum, & impoſſibile: quod aliquorum, deficiens & non artificiale. Qualium autem, artificiale ſimul eſt, & ad omnia artis particularia ſufficiens: quod & contineri in medicinæ dicimus definitione.

MANARDVS.

Dubitatio eſt, inquit, circa definitionis literalẽ ſeriẽ, quoniam pati uerba uidentur ut intelligamus, medicinam eſſe ſcientiam omnium particularium, ſalubrium, morboſorum, & neutrorum. Patiuntur autem eadem definitionis uerba, ut non omnium, ſed quorundã particularium ſcientia credatur. Tolerant & non minus, ut qualiumnam ſit exponamus. Hęc eſt Galeni dubitatio, non ita aſpernanda ut rudior putetur, ſicuti non bene eam intelligens ſcripſit Druſianus: rationẽ quippe reddit eius ſolutio, quare corporũ definitiones neceſſe fuerit aſſignare. Eſt autẽ dubitationis ſolutio, non eſſe intelligendum medicinam eſſe ſcientiam omnium particularium, quia indeterminatum hoc eſſet: nulla enim determinatio fieret ſic intelligẽdo: eſſet etiam impoſſibile, quia ſingula percurrere nemo poteſt. Non aliquorum, quoniam manca & mutila eſſet medicina, artisq; ratione careret, cuius eſt non aliqua tantum particularia, ſed uniuerſalia dogmata docere. Relinquitur ergo ex arte eſſe, & ad omnia artis opera ſufficere, cognoſcere qua-

lia ſint quæ in medicinæ definitione continentur. Ad quod oſtendendũ definitiones eorũ afferre neceſſe eſt. Quod autem iſta fuerit Galeni ſententia, & non quam putat Druſianus, ſcilicet quod per qualia intellexerit uniuerſalia, monſtrant uerba quæ ſequuntur.

GALENVS.

Incipiamus ergo primum à corporibus, qualia quædam ſint, tum ſalubria, tum ægrotabilia, tum neutra: poſt hoc de ſignis & cauſis orationem texemus.

MANARDVS.

Quod Galen. per quale intellexerit definitionem.

Quũ enim repetat idẽ uerbũ, qualia, quo antea uſus fuerat, quaſi ex dictis cõcludendo quod opus ſit definire qualianam ſint ea quæ in medicinæ definitione ſunt poſita, ambigi certe non poteſt, quod in eodem etiã ſignificato qualis nomen ſuperius acceperit. Sed & in fine huius tractatus, eadẽ quoq; uoce utitur, dicens: Quale ſingulum horum ſit, ſatis eſt determinatũ. Non ergo aliud per qualia, quàm eorum definitiones intellexit. Licet enim definitio in quid prædicetur, per eam tamen qualis ſit res oſtenditur, ratione differentię quæ in quale ſecundũ dialecticos prædicatur. Nec à noſtra expoſitione æditio Arabica abhorret, ſi quis ex eius barbarie elicere uerũ ſenſum norit. Nihil enim aliud per eſſe, quàm definitionem intellexit: unde nec calumniari merebatur à Druſiano, quaſi uoluerit excuſare Galenum particulariter de medicamentis loquentem. Non enim hoc uoluit bonus Arabs, ſed ſuperfluũ potius ſtudium recentiorũ reprehẽdere, qui magnũ ſe quid feciſſe putãt, ſi de aliquo particulari morbo uel pharmaco ſcribãt, de quo non ſcripſerit Galen. Superfluã enim hanc diligentiã etiam Galen. ipſe, multis in locis dãnauit, ſed præſertim circa medicamẽta, in lib. De ſimplicib. medicinis, & circa morbos in lib. De tumorib. prẽter naturã. Sed his

Druſianum male calumniari Arabẽ expoſitorẽ.

omiſſis

omissis tempus iam est, ut per corporum mare cymbulam nostram ducamus: quod cautissime agendum est, scientibus quot iam bucẽtauri & onerarię naues in hoc pelago naufragium fecerint. Sed audiamus Galenum.

GALENVS.

Salubre simpliciter corpus est, quod ex generatione temperatũ simplicibus & primis particulis existit, & his quæ ex illis cõponuntur instrumentis commoderatum.

MANARDVS.

A corporibus (ut spoponderat) incepturus, salubria prius aggreditur, utpote cæteris perfectiora, & à quibus reliquorum notitia depẽdet. Inter quæ etiam prius salubre simpliciter definit, in quo uera salubritatis ratio inuenitur. Ea in definitione, si dialectice (quod Drusianus facit) partes inuestigare uolumus, non ut ille temperatum & cõmoderatũ generis rationem tenere, sed corpus, genus, reliqua differentias putabimus. Nam id quod dicitur ex generatione, licet sit omnibus corporibus simpliciter talibus commune, ægrotabili scilicet & neutro, per id tamen tam hęc quàm illa, ab his quæ non simpliciter, sed ut nũc talia sunt, separant̃: ut propterea etiã hic lapsus sit Drusianus, put ans esse etiã salubribus ut nunc, communem. Neque oportet hoc uerbum, ex generatione, à proprio significato ad significandum rem fixam extrahere: quod Gentilis peccauit, à Galeni sententia ob id in totum cadens: sed præcise, ut sonat, intelligere. Corpora enim quod simpliciter talia sint, à naturali habent potentia: quæ qualitas, non accidentaria est aut acquisititia, sed ab ipsis generationis principijs, semine uidelicet & menstruo sanguine, in prima mox generatione contracta. Per reliqua deinceps in definitione posita, corpus simpliciter salubre, ab ęgrotabili & neutro simpliciter discernitur. Ad rem enim tam exi-

Alius Drusiani lapsus.

Error Gentilis.

miam, tamq; rarę nobilitatis constituendam, nihil prorsus deesse oportuit, quod ad opera, decorēq; cōduceret, sed ueluti Polycleti statuā suos omnis numeros habere, quorum si quis desit, non amplius absolute salubre dici possit. Duo autē sunt genera, quibus uniuersa ad hāc absolutionem spectantia continentur: temperatura uidelicet & compositio: quorum illa quidem formæ, hæc uero materiæ rationē obtinet. Temperatura ergo optimam & exactissimā habere cōpositionem debet. Temperatura quæ communiter complexio dicitur, est qualitas ex actione inuicem & passione primarum qualitatum proueniens: cuius tot sunt genera, quot modis quatuor ille primæ qualitates, caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas, se inuicem compatiūtur. Quod nouem modis contingit: duo enim sunt inter illas contrariorum paria, caliditas scilicet, frigiditas, humiditas & siccitas, quę conuenire in unam temperaturā minime possunt. Aut ergo in ambabus pariter contrarietatibus æqualitas est, & tunc excellentissima temperaturarum gignitur, quæ æqualis & temperata absolute nūcupatur: Aut non: & hoc quoque dupliciter cōtingit: aut enim inęqualitas in altera tantum existit contrarietatum, aut in utraq;. Si primū, aut in actiuis est inæqualitas, & hoc iterum dupliciter: quia uel calor frigus, et calida tātum, uel frigus uincit calorem, & frigida tantum temperatura nominat. Aut actiuis æqualibus remanentibus, passiuæ sunt inæquales: quod etiam dupliciter contingit, quoniam uidelicet aut humiditas superat, aut siccitas, et temperatura humida tantum si primum, sicca tantum, si secundum, nuncupatur. Et sic iam quinq; inuenimus temperaturas, quæ dici temperatæ possunt: primā scilicet absolute temperatam, secundam calidam tantum, tertiam frigidam tantum, quartam humidam tantum, quintam siccam tantum. Sed si in utraque contrarietatum inuenitur inęqualitas, aut caliditas uincit, aut frigiditas. Si caliditas, aut simul cum humiditate, & est tempera-

Quid sit temperatura uel complexio.

Complexio simpliciter temperata.

peratura calida & humida: aut cum ſiccitate, & eſt calida et ſicca. Si frigiditas ſuperat, aut ſecum iungit humiditatem, aut ſiccitatem, & ſic duæ aliæ reſultant cōpoſitę temperaturę, frigida ſcilicet & humida, & frigida & ſicca. Et demū nouem temperaturæ colligūtur, quę inferius adſcribuntur, una abſolute, quatuor in una tantum cōtrarietate tēperatæ, reliquæ in ambabus diſtēperatæ.

in ambabus contrarietatibus

		Aequalis in	Calore	Frigore	Humiditate	Siccitate
Tēperatæ.	1 Abſolute tēperata					
	2 Calida tantum		Superans			Aequalis
	3 Frigida tantum			Superans		Aequalis
	4 Humida tantum			Aequalis	Superans	
	5 Sicca tantum			Aequalis		Superans
Diſtēperatæ.	6 Calida & humida		Superans		Superans	
	7 Calida & ſicca		Superans			Superans
	8 Frigida & humida			Superans	Superans	
	9 Frigida & ſicca			Superans		Superans

primi par contrarij

2ⁿ par.

Poſſumus & omnes una figura hoc modo complecti.



Temperatu ram optimã deberi cor= pori ſalubri

Ex nouẽ igitur huiuſcemodi temperaturis, eam decens eſt ſalubri corpori ineſſe, cæterorũ corporum nobiliſſimo, quæ ſit inter reliquas excellentiſſima, qualem eſſe eam quæ abſolute temperata dicitur, nemo debet ambigere. Quum enim æquatas habeat ambas contrarietates, & concinna quadam harmonia inuicem congruentes, ſubſtantiæ cœleſtis (quantum ſcilicet in fine huic naturæ poſſibile eſt) ſimilitudinẽ gerit. Recte igit definiuit Galenus, corpus ſimpliciter ſalubre, bene temperatum eſſe dicens in ſimplicibus & primis particulis. Licet enim humanum corpus, ſicut multas & diuerſas exercere operationes debet, ita multiplices particulas ſortitũ ſit, duplici tamen genere uniuerſa hæc multitudo continetur, ut aliæ ſimplices & primę ſint, quæ & ſimilares uocantur: aliæ ſecundæ & compoſitæ, quæ uel inſtrumenta, uel inſtrumentales partes nuncupantur.

Particulæ ſimilares.

Dicuntur illæ ſimilares, quoniam ſibi ſimiles adeò ſunt, ut unaquæq; earũ pars, totius & nomen ſubeat & definitionem: hæ ſunt caro, nerui, oſſa, & id genus cætera.

Simplices.

Dicuntur ſimplices, quoniam tales ad ſenſum ſunt, & quoniã non in diuerſi generis particulas diuidi poſſunt.

Primæ.

Dicũtur primæ, quoniã ex his reliquę conſtituuntur: his etiam proprie & primo debetur temperatura, quoniam ex elementis propinquius cõſtant, & ex ipſis in inſtrumẽtales temperatura deriuatur. Salubre igitur ſimpliciter corpus, ſimilares haſce particulas, bene temperatas habere debet, ut ex earum bona temperatura, abſoluta in corpore temperies redundet. Non tamen in his ipſis particulis, cute excepta, uera temperies eſt, uel neceſſaria uel debita, quum ex eis aliæ frigidiores, aliæ calidiores, alię ſicciores, alię humidiores natura ſint, ſed ſuo quæq; & proprio temperamento ita dotata eſſe debet, ut exinde in toto corpore exactiſſima, ut diximus, temperies naſcatur. Secũdæ particulæ inſtrumenta, uel inſtrumentales dicuntur, ob id quod animæ ad functiones

Similares particulæ ad quẽnam ἀνθυποφορὰν modum eſſe debeãt temperatæ in ſalubri ſimpliciter corpore.

Partes inſtrumẽtales

ctiones exercendas ueluti instrumenta deseruiũt. Cõpositæ, quia ex primis illis, & ad sensum simplicibus, cõponuntur. Dissimilares, quoniam non singula eorum pars, totius nomen recipit & definitionem. Tales sunt iecur, cor, cerebrũ, oculus, uẽtriculus, & id genus cætera: non quæuis enim oculi pars oculus est, aut cerebri cerebrum: & sic pariter de reliquis dicendum. Has quoq; bene compositas & ad amussim fabricatas, nobilissimum salubre corpus habere oportet: & propterea addidit Galenus, & his quæ ex illis cõponuntur instrumentis, commoderatum. Quatuor uero capitibus commoderatio huiuscemodi continetur, quę inferius à Galeno nominabuntur: et sunt formatio, numerus, quantitas, & positus. Nihil enim in eo redundans, nihil deficiens esse debet, sed instrumentalia omnia membra ita formata, & proprijs figuris exornata, ac reliquis cõiuncta esse debent, ut eximius inde decor resultet, & uniuersa munia rectissime absoluant̃. Non quod ipsa commoderatio ad opera relatiue dicat̃, ut uult Drusianus, sed quod ex ea perfecta opera apta sint consequi. Hæc ergo est corporis simpliciter salubris integra definitio, nec illius dictionis, *optima*, ut credidit Drusianus, nec alterius egens adiectione: satis etiam, ut mihi uidetur, declarata. Sed quum multifariè circa eam recentiores dubitarint, cogimur & nos nonnullas eorum dubitationes attingere.

Cõpositæ.

Dissimilares.

Quatuor capita q̃bus hmõi instrumentalium cõmoderatio custodit

Error Drusiani.

Alius Drusiani error.

Ambigitur ergo primo, quoniam si corpus simpliciter salubre tale à generatio ne esse oportet, ut dictũ est, una ex medicinæ partibus interibit, quæ referre corpora ad meliorẽ frugẽ docet: conatus enim quilibet medici erũt irriti, ad salubritatẽ ducere corpora insalubria satagẽtis. Sed effecimus nos minus etiam hunc conatum possibilem, dicentes salubritatem ægrotabilitatemq; naturales quasdam esse proprietates. Tam ergo possibile uidetur insalubre suam perdere insalubritatem & salu-

Primum dubium.

2

britatē acquirere, quàm possibile eum qui à natura ineptus ad pugilatoriā artem existit, pugilem efficere, id est,
3 natura ad pugilatoriā artem idoneum. Frustra item laborasse uidetur Galenus in eo libro quem Salubrium, siue de tuenda sanitate inscribit, magnam eius partem cōsumens in docēdo, quo modo in corpore salubri cōseruari salubritas debeat. Si enim naturalis potentia est salubritas, quomodolibet puer regatur, eam nūquam amittet, quia quæ naturalia sunt, aliter non assuescunt.
4 Alioqui si aliquādo ægrotaret, salubritatē simul & ægri
5 tudinem haberet, quod uidetur impossibile. Salubritas igitur ista, quicquid agatur, ad senectutē usq; et senium perdurabit, imò & hominem ad stygiam usq; paludem
6 associabit: creperaq; in ætate constitutum, & iam cum morte ipsa dimicātem, imò in faucibus orci iam demersum, salubrem dicere cogemur. Nec florida ętate simul
7 & bile feruescentē iuuenem, larua illa, & quasi iam busto, affirmare ualebimus salubriorem. Cauillos istos & nodos ueteribus diluere adeò fuit difficile, ut Gentilis & nonnulli sequaces eis manū dederint, fassi Galenum per transumptionem quandam locutum, hæc corpora à generatione talia esse dixisse, non quod ita nascerentur, sed quoniā fixam & stabilem sanitatē haberent, & quæ non nisi magna ui posset auelli, nihili uerba facientes, nec aduertentes metaphoras hasce philosophos et medicos non decere, neq; Galenum his uti cōsueuisse, sed ubique cum his pugnare, qui uocibus abutuntur, & ad alienum significatum extorquent. Fuit autem, ut dixi, illis obiecta diluere difficilius, pro salubri sanum, pro ægrotabili ægrum legentibus. Nobis satis facile, dicentibus salubre simpliciter corpus salubritatem quam à natura consecutum est, ad mortem usque possidere, nec per ætatem aut morbos perdere, artemq; ipsam simile quoddam ei moliri posse, quod & de auro per artem quam Chymicen uocant facto, nōnulli affirmant: ueram

Opinio Gentilis

Cōtra Gentilem.

Solutio obiectorum.

ram tamen ſalubritatem nulli corpori aut largiri poſſe, aut conſeruare. Nec tamen fruſtra in libro Salubriũ laboraſſe Galenum, quoniam non ſalubritatem, ſed ſanitatem, quam perdere difficile quidem, ſed perdere tamen ſalubre corpus poteſt, in eo ſtuduit conſeruare. Iuuenẽq; bilioſum quamuis robuſtiſſimũ, ſanitate quidem plurimum uigere, nunquam tamen ſalubri ſimpliciter homine, ſenio etiam grauiſſimo confecto, fatebimur ſalubriorẽ. Et per hęc quidem ſatisfactum eſſe dubitationi nũc uolumus, cum acriore hoſte ſtatim in alio campo conflicturi. Auerroici enim in nos inſurgunt, cum auxiliarum copiarum ingenti manu, uitio nobis dantes, quod corpus hoc ſimpliciter ſalubre, conſtare temperatura dixerimus, in qua quatuor primę elementares qualitates, ueluti ad æquilibriũ quoddam penitus eſſent exequatæ. Opponunt enim primo nobis Auerroëm & Auicennam, magni utrũq; nominis, ęqualitatem iſtã ab omni prorſus re, nedum ab homine ſemouentes. Nec ſine ratione, quum ſit neceſſarium ſi temperatura, quæ qualitas una eſt, gigni ex primis quatuor debet, & agere eas ad inuicem & pati: quod fieri poſſe minime putant in tanta æqualitate: & propterea oportere ait Auerroẽs, in quauis mixtione, ex actiuis qualitatibus alterã, id eſt caliditatẽ, & ex paſſiuis alterã, id eſt, humiditatẽ, dominari, ut illa quidem facere, hæc ſuſtinere apta ſit commixtionẽ. In animalibus uero hoc tanto magis uidetur neceſſarium, quanto per concoctionem quandam à calido factam, ex oppoſitis paſſiuis quoduis animal generatur, & in calido & humido uita cuiq; conſeruatur, ut quæ aliud non eſt, quàm participatio animæ in calido, ut dixit Ariſtoteles. Altio quoque & augmentũ, omnesq; ferè animalis functiones, principatũ calidi & humidi prę ſe ferre uidẽtur: quod Galen. quoq; ipſe primo lib. De temperaturis, & De ſimplicibus medicamentis cõfiteri cogitur. Nos Galeni uexillũ ſequen

Secundum dubium, an corpus ſimpliciter ſalubre æquales omnino habeat primas qualitates.

tes, alios q̃ſub tali imperatore parum formidantes, dicimus cum eo quinto lib. Salubriũ uerſus finem, optimã temperaturã eſſe maxime in medio omnium diſtemperantiarum: poſſibilitatemq̃ exactæ huius æqualitatis ex primo lib. de tẽperaturis argumento euidenti probamus, quod huic propoſitioni innititur: Quicquid cõpatitur, extrema compatitur & medium: cui ſi addideris, quod caliditas & frigiditas, humiditatẽ & ſiccitatem extremas patiuntur, ſequetur, ut mediam quoq̃ inter ea qualitatẽ non minus patiantur, hoc eſt, humiditatem ſiccitatemq̃ mediocrem. Et ſi æqualis iſta humiditas & ſiccitas, extremam, id eſt, magnam & ultra mediocritatem extentam frigiditatẽ caliditatemq̃ cõpatitur, cum eiuſdem propoſitionis adminiculo ſequitur, ut mediocre etiam frigus, mediocremq̃ calorẽ perpetiantur: & hoc eſt quod uolebamus, in eadẽ uidelicet re quatuor iſtas qualitates ſibi inuicem æquas poſſe reperiri. Quod certe nihil aliud eſt, quàm exactam temperiem dicere, quam in homine tantũ eſſe demũ ipſemet Galenus cõcludit cap. nono primi libri de temperaturis, affirmans hominẽ nedum omnibus animalibus, ſed etiam omnibus corporibus eſſe temperatiorẽ, cutemq̃ palmæ eius ab extremitate primarum qualitatum æqualiter ſubmoueri. Sed & Auerroës quoque, licet falſum hoc exiſtimet, eſſe tamen Galeni dogma tertio libro ſui Colliget confitetur, ubi exiguũ eſſe Galeni errorem dicit. A qua etiam ſententia quãquam Auicenna in ſuo primo Canone parum ſe mouerit, temperatiſſimũ hominẽ non exactam habere æqualitatem, ſed eſſe illi propinquum dicens, capite tamen ſecundo primi libri de uiribus cordis, qui libellus longe amplius ad limam ductus, quàm liber Canonis fuit, tantam in humana temperatura primarum qualitatum adæquationem eſſe affirmat, ut omnis in ea contrarietas conticeſcat. Et quidem meritò, quia nobiliſſimę formæ, diuinisq̃ ſubſtantijs ſimillimę, qualis

In homine poſſe exactam temperiem inueniri.

qualis est humana anima, uinculum quoddam & ueluti nexus, quo supremæ & intellectuales substantiæ inferioribus connectuntur, subiectũ congruit, quod quantum huic infimæ materiæ est possibile, ab omni sit contrarietate semotũ, et cœlo quantũ fieri potest proportione respondens. Sic enim ad uniuersa persoluenda munera, contrarijs omnibus repugnandũ, & sanitati, quæ æqualitas quędam est, maxime est idoneum, morti uero & corruptioni, quæ ex contrarietate sequuntur, quantum humanitas patitur ineptũ. Non enim incorruptile penitus esse potest aut debet, quũ ex incorruptili corruptilique substantia cõstare hominem oporteat, nec ab omni contrarietate usquequaque immunẽ Tantum igitur contrarietatis adeptum est, quantum sufficere ad generationem potuit, & temperaturã hanc gignere: in cuius generatione, caliditas in genitali semine inuẽta, humorem eiusdẽ seminis simul cum mẽstruo sanguine ualuit immutare. Licet enim ad cuiuslibet mixti generationem, quæ per concoctionem quandam fit, caliditas & humiditas plus cæteris elementaribus qualitatibus concurrant, atque in actu ipso generationis & formationis plus operentur, non est tamen necesse easdem completa generatione, in re etiam genita dominari, alioqui omnia genita eiusdem temperaturæ, calidæ uidelicet & humidæ esse oporteret: quod quamuis de omni animali, imò de omni uiuo mortui comparatione, Galenũ sequentes concedamus, non propter hoc tamen cuncta uiuentia absolute esse calida & humida fateri cogimur, sed uarijs temperaturis prædita, longius tamen ab exacta ęqualitate, quàm humana species cõsistentia. Quod si & in actu ipso uiuẽdi, multisque uitæ functionibus caliditas & humiditas plus cęteris qualitatibus operantur, non propterea cõcludi debet eas plus cæteris in quouis animali abundare, sed sat est tantũ earum adesse, quantum ad ea munera exequenda est necessarium. Et hæc

Solutio primi et secundi arg.

3

5

4

quidem in hac magna controuersia satis sint, quam alio in loco fusius pertractauimus.

Tertium dubium

Dubitatiuncula adhuc superest circa literam diluenda, quum salubre simpliciter corpus, continuũ in omnibus tam simplicibus quàm cõpositis particulis esse oporteat, omnique sectione & solutione carere, quare hoc non tetigerit Galenus. Negari enim non potest solutionem cõtinui posse à generatione contingere, quũ ratio hoc affirmet & experientia attestetur. Sed dicendũ, continuitatẽ solutã, præsertim à generatione, esse nõ posse, nisi mala temperatura, uel immoderatio, uel utrunque, aut precedat, aut comitetur, aut sequatur: & propterea si duo illa adsunt, bona uidelicet temperatura simpliciũ, & instrumentorũ cõmoderatio, adesse & debita continuitas intelligitur, etiam si aliter non exprimat̃. Et hoc quidem est corpus simpliciter salubre. Iam uideamus quid sit salubre ut nunc.

GALENVS.

Salubre autem nũc corpus, est quod ad præsens sanum degit: estque ipsum quoque, eo quo sanum degit tempore, bene temperatum, commoderatũque, non optima temperatura & cõmoderatione, sed propria.

MANARDVS.

Mea quidem sententia tota definitio salubris nunc corporis, paucis illis uerbis concludit̃, Corpus ad præsens sanum: reliqua potius definitionẽ declarant quàm faciant, rationem reddentia quare salubre ut nunc dici possit, licet ueram salubritatẽ non habeat: quum enim eo tempore quo bene ualet, bene temperatum commoderatumque aliquo modo sit, salubre quoque aliquatenus dici potest. Sed quoniã bona eius temperatura & commoderatio, non optimæ, id est exactæ, sed solũmodo illi propriæ sunt, sequit̃, ut non absolute, sed cum adiectione huius

ne huius particulę, nunc, ſalubre dici poſſit. Appellauit autem optimam, non temperatiſſimam & commodera tiſſimam, quę eſt ſalubris ſemper propria, ſed quę utricꝫ ſalubri ſimpliciter eſt cõmunis, tam ſcilicet ei quod ſem per, quàm ei quod multũ dicit. Ex hac autẽ definitionis ſalubris nũc declaratione cõſtat non bene ſenſiſſe Dru ſianum, eidem generi ſubeſſe corpus ſalubre ſimplici ter, & ſalubre nunc putãtem, quod genus per duo illa, bene temperatum et cõmoderatum, circunſcriberetur. Species enim ex æquo naturę generis participes eſſe o portet: quod de illis non contingit, quoniã ſalubre ſim pliciter uerum habet temperamentum, ueramꝫ cõmo derationẽ. Salubre ut nunc, eam ſolũ, quæ eſt ſibi pro pria: quam tantum abeſſe à uera cõtingit, quantũ inſa lubre ſimpliciter corpus diſtat à ſalubri. Nam & ipſum inſalubre ſimpliciter corpus, pro eo tempore quo ſanũ exiſtit, ſalubre ut nunc dici poteſt. Si quis ergo conten dat, corpus ſalubre ut nũc, uere temperatũ eſſe & cõmo deratũ, quum corpus ſimpliciter inſalubre, etiam ipſo met Druſiano teſte, ſit ſalubre ut nunc: hoc quoꝫ eſſe uere temperatum & commoderatũ fateri cogeẽ, quod eſt ab omni ratione alienũ. Non minus quoꝫ in eo falli tur Druſianus, quod putat corpus ſalubre ut nunc, ſeu, ut ipſe uocat, ſanum ut nunc, eſſe à generatione ſanum, adeò ut dicat hanc particulã, à generatione, eſſe utriuſꝫ definitioni cõmunem. Nam quum poſſit ſtatim à con ceptu quiſpiam ægrotare (ſicuti inferius oſtendemus) poſſitꝫ in præſenti, exempli gratia, tempore idem qui ab initio ægrotauit, ſanus eſſe, fateri tunc oporteret eun dem ſimul fuiſſe ſanum & ægrum: ægrum quidem ex ſuppoſito dum generatum eſt: ſanum uero, ex quo ſa num nunc dicitur: & iuxta Druſiani ſententiam quod libet ſanum nunc, tale eſt à generatione. Sed nec certe credendũ eſt, ſi ita eſſet ut ſenſit Druſian. quod corpus ſalubre nũc, tale ſit à generatione, Galenũ illud uerbũ,

Optima tempatura quæ in definitione ponitur qualis ſit.

Alia ratio cõtra Druſianum.

Alius Druſiani error.

Ratio contra Druſianum.

Alia ratio.

ſcilicet à generatione, in definitione ſalubris nunc corporis tacuiſſe, ſicuti in definitione corporũ ſimpliciter dictorum, id nunquam prætermiſit. Sed quum eius loco in definitione corporum nũc talium, particulã illam ad præſens appoſuerit, quæ ei quod eſt à generatione quodammodo opponitur, intelligi uoluit, hæc à generatione qualitatem illam à qua talia nunc dicuntur, non neceſſariò habuiſſe. Sed de alijs corporibus, ut nunc, à Galeno uocatis, locis ſuis inferius uidebimus. In præſenti nõnulla adhuc dubitãdo de ſalubri nũc inueſtigemus, ex quibus expoſitionis noſtræ ueritas eluceſcat.

Primum dubium, an ſalubre nunc ab alijs corporibus re uel ratione tantum diſtinguatur.

Primo dubitatur, an corpus ſalubre nunc, re ipſa ab alijs corporibus diſtinguatur, uel nomine tantum & ratione. Si enim definitionẽ cõſideremus, uidebitur utiq; & ſalubri ſimpliciter cõuenire, pro eo tempore quo ſimul cum naturali ſalubritate, actu quoq; poſſidet ſanitatem. Sed et alijs quoq; omnibus congruit corporibus quæ intra ſanitatis limina comprehenduntur. Nam & inſalubre ſimpliciter corpus, de quo minus uideretur, dum etiam ipſum propria fruitur ſanitate, ſub ſalubris nunc definitione concluditur. Alia uero ex parte, ſi modum quo procedit Galenus attenderimus, corpus primo in ſalubre, ægrotabile, et neutrum diuidens, deinde ſalubre in ſimpliciter et nunc, uidebitur ab ęgrotabili et neutro, genere diſtingui, & à ſalubri ſimpliciter ſpecie.

Variæ opiniones.

Opinionum uarietas, huius dubitationis oſtendit difficultatem. Gentilis ſiquidem, qui à peruerſa traductione deceptus, corpora quæ nos ægrotabilia ab aptitudine naturali uocamus, ægrota actu reputauit, hæc fateri cogitur à ſalubri nũc re ipſa penitus diuerſa, fieriq; nullo pacto poſſe, ut de eis prædicetur. Druſianus haud ſatis ſibi conſtat: modo enim ſalubre nunc differre à ſalubri ſimpliciter, maioris tantum minorisq; ratione affirmat: modo ex aduerſo ab eo diſtinguit, & in neutrum & ægrũ ſimpliciter, ueluti in ſpecies diuidit. Sunt uiuen

Opinio Druſiani.

tes

tes nonnulli, qui corpora uniuersa quæ hic à Galeno enumerantur, adeò re ipsa inter se diuersa dicunt, ut de se inuicem nullo pacto prædicentur. Modũ tamen quo dogma tutantur, nunquam (quod sciam) expresserunt. Sed mihi super hoc aliquando cogitanti, uisum est non aliter hanc opinionem defendi posse, quàm si ordinem quendã & ueluti gradus sanitatis imaginemur, in quo primum & supremũ locum sibi uendicet corpus quod semper salubre dicitur: secundum, salubre ut in pluribus: tertium id de quo nobis sermo, salubre nunc: post quod deinceps neutrum, demum insalubria uel ægrotabilia sequãtur. Inter quæ omnia infimum tandem locum insalubre semper corpus obtineat. Cuius opinionis, quo ad salubre nunc, fuit etiam Arabs expositor. A qua opinione, satis quidem probabili, duo sunt quæ me absterrent: fides antiqui codicis græci in publica biblioteca apud ædes diuis Ioanni & Paulo Christi martyribus sacratas, Venetijs reperti, in quo corporũ istorum ordo, ad modum inferius ostendendum depictus, nullum corpus quod non sit simpliciter tale, intra sanitatis habitudinem computat. Sed hoc ipsum de quo agimus, salubre ut nunc, extra tabulã ita statuit, ut præter salubria simpliciter, reliqua uniuersa complectatur. Quod certe satis consentaneum rationi & Galeno est, si recte res ipsa ęstimet. Ex quo enim (ut superius ostendimus) corpus salubre nunc, non est absolute salubre, sed solum cum adiectione: sequitur ut non sit eiusdem naturæ cum salubri simpliciter: omnia enim quæ sine adiectione, simpliciter, nominantur, non eiusdem naturæ sunt cum eis, quæ cum adiectione solum dicũtur, sicuti Galenus in lib. de bono habitu attestat. Erit igitur uel simpliciter neutrum, uel simpliciter ęgrotabile: sicuti id quod nunc & secundũ quid uoluntarium, est (Aristotele tertio moralium ad Nicomachũ teste) simpliciter inuoluntarium: & è cõtrario. Quod si quis cõcedere

Quæ dubiã faciant opinionem.

abnuit, negare tamen non ualet, posse contingere, ut id quod absolute est insalubre, uel neutrũ, salubre ut nũc dicatur: sicuti quod absolute nigrũ est, ueluti æthiops, secundũ quid album, dentium uidelicet ratione, interdum dicitur: & scutũ dimidia parte album, altera dimidia nigrum, secundum quid album. Rem igitur diuersam à salubri indicare uidetur, id quod salubre nunc dicitur, quod & definitio eius ostendit: quam tamen decens erat ita se habere respectu definitionis salubris ut in pluribus, sicuti huius definitio respectu salubris semper, si maioris minoris ue ratione dũtaxat, inuicem tria hæc distarent, ut scilicet & id diceret salubre nũc, quod à salubri multum non ualde esset remotum. Sed quum non ita uel simili modo fuerit definitũ, sed per indeptionem possessionemq; sanitatis, extra tres principales latitudinis partes erit meritò collocandum, quæ naturalẽ potentiã uel impotentiã ad sanitatẽ potius notãt, quàm eam sanitatem quæ actu existit. Nam salubre simpliciter corpus, licet sanitate frui inter omnia corpora maxime aptũ sit, eam tamen actu in ratione sua nõ includit: tunc enim ægrotare minime posset. Et licet (ut superius diximus) dum ægrotat propriã salubritatẽ non amittat, nunquã tamen ex eo tempore quo sanum est, salubre nunc dici potest, quia sanitatem nobiliori modo habet, q̃ ut ad præsens sanè degere dici debeat. Modo enim hoc loquendi in illis uti consueuimus, qui ægrotare potius quàm recte ualere natura sunt idonei. Scio tamen hæc sophistis non placere: sed nihil ad nos de his qui foris sunt. Insalubria et neutra simpliciter corpora, pro eo tempore quo sana sunt, salubria ut nũc uocari non diffitemur, cum sanitatẽ non proprio iure, sed precariò possideãt. Re ergo ipsa salubre nunc, ita ab insalubri seiungitur, ut coniungi secum nullatenus possit: cum neutro & ægrotabili ita cõiungitur, ut quanquã ratione ab eis euarians, tamen esse sine altero illorum non possit: non usque-

In ratiõe salubris simpliciter non includitur qd' actu sanitatem habeãt.

uſqueadeo tamen illis coniungitur, ut uiciſſim ſine eo conſiſtere illa nequeat: nam dum ęgrotāt, neq; ſana degere, neq; ſalubria dici aliquo modo debēt. Nō ergo eſt genus illorum, ut uoluit Druſianus: nec ex aduerſo ab illis diſtinctum, ſicut ſimpliciter ſalubre: ſed ferè eo modo ad illa ſe habet, quo album ſecundum quid, et ad nigrū ea quæ nigra, & ad ea quæ medio colore ſunt affecta. Dubitatur primo, an corpus ſalubre nunc, ſua diutius frui ualeat ſalubritate: temperatura enim ſalubritatem poſſidere uidetur, adeoq; imbecillū eſſe ut labi in morbū citò neceſſe ſit. Et propterea dixit Druſianus, tempus illud quo ſanum dicitur, non eſſe poſſibile ad longius extendi. Cui contradixit Forliuienſis, aptū eſſe dicens, ut toto tempore perduret. Ego ab utroq; diſſentiens aio, poſſe quidem toto uitæ tempore & ſanum & ſalubre ut eſt perdurare, ad id uero minime minus aptū exiſtere: ex quo enim (ut oſtendimus) corpus hoc eſt ægrotabile uel neutrū ſimpliciter, ſequitur ut quandam naturalem impotentiam ad ſanitatē habeat, atq; (ut ſequens eſt) ægrotare aptum ſit, non ſanum longo tempore permanere: poſſe tamen contrariū euenire, ut ſcilicet longo tempore & ad mortē uſq; ipſam ſanus perſeueret, pars medicinę differat conſeruatiua, cuius non aliud propoſitū eſt, quàm cuiuſcūq; temperaturæ corpora ſana conſeruare: quam fruſtrari proprio fine oportet, niſi illa poſſent diutius in ſanitate permanere.
Tertia rurſus inſurgit dubitatio, an ſit à generatione bene temperatū & cōmoderatū: quod enim bene aptum & commoderatū ipſemet Galenus aſſerere hs uerbis uidetur: Eſtq; eo quo ſanum degit tempore, bene temperatum & commoderatū. Quod etiam ratione probare nititur Druſianus, quoniam ſanitas idem eſt quod bona temperatura & cōmoderatio, ergo ſi hoc corpus ſanitatem habet, bonam pariter habet temperaturam & commoderationem. Quod uero hæc à generatione

possideat, probat multipliciter. Primo ex Gal. uerbis, quod secundum propriam naturam hæc habet. Ea autem quæ secundũ naturam insunt, à generatione inesse nemo dubitat. Sed per id etiam quod dixit habere bonam temperiem & cõmoderationẽ, sed non optimam, uidet innuere, in reliquis cum definitione salubris simpliciter conueniat, & ut sequens est, bonam temperatu ram et commoderationẽ nactum ab initio generationis sit: sanitatem etiam quamlibet naturaliter constare.
Et hoc argumento patet, quod ægrotãtia corpora quoties naturæ propriæ relinquũtur, in eam naturali quodam motu actutum reuertuntur. Nec efficientes causæ aliter faciunt sanitatẽ, nisi quia ad redeundũ in propriã naturã corpus disponũt. Multa quoq; esse à generatione quæ lapsam habẽt, & non simpliciter dictã sanitatẽ, quæ non aliam quàm sanitatẽ ut nũc, possidere dici possunt. Ex his demũ cõcludit, salubre simpliciter et ut nũc, maioris minorisq; tantũ ratione differre inuicẽ, sicuti magis album & minus albũ: idemq; genus proximũ habere, quod per ista uerba circunscribitur, bene temperatum & commoderatum, quod ipse eucraton uocat & inæquale: eandemq; differentiam, scilicet à generatione: quam ideo non expressit Galenus, quod in ratione insalubris & neutri simpliciter, cõtinentur quæ sunt sana ut nunc. Sed certe multum hic dormitauit bonus iste monachus, non aduertẽs se totam sanitatis latitudinem peruertere: sequitur enim ex eius dictis, omnia corpora in latitudine sanitatis sita sub eadem cõprehendi definitione. Salubre quidem simpliciter & ut nunc, ipsemet sponte confitetur à generatione temperata & commoderata esse, & ut sequens est, idem genus & easdẽ differentias habere. Fateri idem cogit de neutro insalubriq; simpliciter, cum notum sit ex dialectica, quicquid in ratione superioris includitur, in inferioribus etiam includi. Salubre autem ut nũc, cõtinere sub se ueluti species

neutrum

neutrum & insalubre, quare sponte confitetur? Vnde & inuitus confiteatur necesse est, eadem corpora simul habere uel commoderationem & incõmoderationem, uel bonam temperaturam & distemperantiam: siquidem insalubre simpliciter corpus à principio generationis uel malas temperaturas uel incõmoderationem uel utrunq; perpessum est. Sed & salubre ut nunc, ex eius sententia à generatione habuit bonã temperiẽ & commoderationẽ, habuit etiam uel malam temperaturam uel incommoderationem, quatenus simpliciter insalubre. Sequitur igitur, ut idem omnino corpus à generatione habuerit simul bonam temperaturam & commoderationem, atq; pariter uel malam temperaturam uel incõmoderationẽ, quatenus uidelicet salubre nunc bene temperatum & commoderatum à generatione fuit, quatenus insalubre simpliciter uel incommoderatũ uel male temperatum. Duo autem fuere quæ ad cespitandum ita Drusianum impulere. Vnum, quod dictiones illas non bene intellexit, eucraton, et commune. Quale alterum quod legebat in fine huius particulæ, *naturam*, quæ in ueris exemplaribus legi non debet: sed adiectiuum illud, *proprium*, referre temperiem & commoderationem, non naturam debet. Ideo non est dicendũ, uoluisse Galenum quod salubre ut nunc, sit secundũ propriam naturam eucraton & inæquale, sed potius quod non habet optimam, id est, ueram temperaturã & commoderationẽ, ita ut sit dictio quædã imminuens & tollens à uero significato, sicuti in literæ expositione superius declaratum est. Ex modo enim loquẽdi sequitur, ut non habeat ueram temperantiam & cõmoderationem, quemadmodũ neq; ueram habet salubritatem, sed sibi tantummodo propriam sicuti salubritatem, ita & temperantiam & commoderationem. Altera, ut diximus, erroris occasio Drusiano fuit, quod uoces illas, eucratõ, & inæquale, quæ pro temperãtia & commoderatione

uel commenſuratione in communi æditione legebantur, non bene intellexit. Si enim recte uim uerborum animaduertiſſet, agnouiſſet utiq; temperantiam ſimilarium & commoderationem inſtrumentalium non eſſe cuilibet ſano communem, imò nulli præterquam ſimpliciter ſalubri poſſe cõuenire. Quod uel ex Gal. ipſo ediſcere potuit, in fine libelli de optima corporis cõſtitutione cõcludente, optimã conſtructionẽ in temperantia ſimilarium et cõmoderatione inſtrumentalium eſſe reponendã. Quod uero ad illam particulam, ex generatione, pertinet, non inficiamur multa eſſe corpora quæ à generatione ſalubritatẽ ut nunc obtinuerunt: ſed eſſe nonnulla ſalubria ut nũc, affirmamus, quæ à principio generationis ægra ut nunc fuere, & nullo pacto ſecundum quid, uel ut nunc ſalubria: & propterea particulã illam, à generatione, in definitione ſalubris nunc ſemouemus. Et ſi per naturã, principium generationis intelligatur, omnem ſanitatẽ eſſe à natura negamus. Si naturale aduerſus præter naturam diſtinguatur, omnem ſanitatem eſſe naturalem concedimus: ſicuti & naturali quadam ui omnia corpora in ſanitatem inclinari: multa enim naturæ nomine ſignificari, præter Galenum Ariſtoteles quoq; nos docuit. Et hæc quidẽ ſufficere ad omnes Druſiani argumẽtationes in præſenti uolo, quibus ſi quid deeſſe uideatur, illud uel ab expoſitione literæ, uel ab his quæ inferius dicenda ſunt, erit petendum. Sed ad ſalubre ſemper iam conuertamus.

GALENVS.

Ipſius ſimpliciter ſalubris corporis ſemper quidem tale eſt id quod temperatiſſimũ & commoderatiſſimum exiſtit.

MANARDVS.

Cum ſuperius docuerit, id quod ſimpliciter dicitur diuidi biſariã, in ſemper uidelicet tale, & maiori ex parte:

te: nũc eam diuisionẽ salubri simpliciter breuissime coaptans, simul salubris semper ponit definitionem, id esse semper salubre dicens, quod duo illa quæ absolutæ salubritati sunt necessaria, simpliciũ uidelicet membrorum temperaturam & compositorũ commoderationem, in superlatiuo & supremo gradu possideret, ut scilicet temperatura cõstaret in qua omnes primæ qualitates ad æquilibriũ essent exactissime adæquatæ, & cõpositione qua mẽbra ueluti ad amussim omnino exquadrata et ad unguem essent expolita, et ut uno uerbo dicamus, suos quoq; numeros adeò particulæ haberẽt, ut ne esse modo, sed ne imaginari quidẽ melius aliquid ualeret. Huic tam præclaræ corporis fabricæ si (ut Platoni placuit) animæ sequuntur corpora, nobilissimã quoq; præstari animam decens est: & quod ex duabus tam eximijs rebus constat, humanas omnes actiones perfectissime absoluere, & ab omnibus iniurijs, quantum huic infimæ materiæ licet, plus alio quouis esse debet immune. Tria igitur cum bona adsint rarissimæ huic naturæ, ex duabus postremis nomen salubris semper accepit, ratione uidelicet exactorũ munerũ, naturalisq; ad se tuendum aptitudinis. Definitionẽ à primo, ut per quod reliqua duo constarent, sicuti in libro de optima corporis constitutione Galenus demõstrauit. Nemo autẽ uel nobis uel Galeno calumniã de nomine faciat, quod salubre semper hoc corpus uocauerit, cum liberũ unicuiq; reliquerit eodem libro, ut uel temperatissimam, uel optimam, uel saluberrimã, uel bonum habitũ, uel quomodolibet aliter hanc constructionẽ nominaret, modo rei substantiam probe intelligeret. Fortè tamen ei placuit hoc loco corpus expeditum salubre semper appellare, ut ex hac nomenclatura oppositionem quam cum salubri nunc habet, melius significaret, optime salubre alijs in locis nominare consuetus. Nec per aduerbiũ semper, aliud quàm tempus intelligendũ, ut Gẽtilis et Vgo putauere,

quando etiam si casu aliquo ægrotaret, salubritatem tamen suam bonumq; habitũ (ut superius diximus) non amittit. Sed iam finem habeat expositio, et nonnulla de nobilissimo hoc corpore dubitando inuestigemus.

Primo dubitat, quoniã si nota illa, semper, in proprio ut dictum est significato, ita accipitur ut significet tempus: euitare non possumus, quin id quod semper salubre est, nunc etiam salubre dicatur: Semper enim significat quod omni tempore, nunc tantum ualet quantum præsenti hoc tempore. Sicuti igitur sequit, salubre semper omni tempore, ergo salubre hoc tempore: ita sequitur, salubre semper, ergo salubre nunc. Dicimus argumentum peccare per fallaciam, quam diuisionis uocant dialectici: quoniam hæc oratio, corpus semper salubre, est nunc salubre, si aduerbiũ nunc, uerbo cõiungatur, composita dicitur & uera est: significat enim quod est salubre semper, in præsenti quoque tempore esse salubre. Si aduerbium nunc, salubri cõiungatur, sicuti coniungendum est dum Galeni modo corpus salubre nũc dicimus, falsum erit, corpus quod est salubre semper, esse salubre cum hac adiectione minuente nunc: nec intelligere opus dictionem exclusiuam, ut dixit Drusianus, parum memor eorum quæ superius dixerat: quoniam corpus quod salubre nunc dicitur, toto uitæ tempore (ut suprà ostendimus) & non nũc tantum, salubre potest permanere. Si quis adhuc quęreret, Quare sequitur, salubre semper, ergo salubre: & non sic sequitur, salubre nunc, ergo salubre? Responsio facilis est ex libro de interpretatione. Sed hęc dialecticis relinquẽda: illud potius uidendum quod ad rem magis pertinet, an corpus hoc salubre, in rerum natura esse possit, uel in mera consistat imaginatione, intelligaturq; potius quàm sit. Galenus siquidem primo Salubriũ, uel nũquam fuisse, uel momento tantum temporis perdurasse testatur. Mihi quidẽ uidetur, quod si in corpore salubri semper exa-

exactissimam primarũ qualitatum adæquationẽ (ut suprà ostendimus) adesse credamus: sicut nihil uetat, primas qualitates in totum sibi inuicem æquales commisceri, ita nihil prohibet tale corpus inueniri: nam quod ad compositionẽ attinet, quis ambigat ubi materia bene obsequens & morigera bono fabricatori sit, nihil alicui particulæ defuturũ, quod ad decorem simul et usum possit conducere? At si (quod uisus est uoluisse Auicenna) non exacte æqualẽ, sed æqualitati propinquissimam temperaturam hoc corpus desiderat, manifestis rationibus concludetur, temperatissimũ corpus dari non posse: sicut neq; temperatura quæ sit uerę illi & omnimodę æqualitati propinquissima, cum inueniri non possit res, aliam rem non contingens, quæ sit ei propinquissima, quoniam distantia quæuis interstitium aliquod supponit, quod ueluti quoduis cõtinuum est in infinitum diuisibile, ita ut quauis assignata distantia, & quantumuis exigua, signare adhuc minorem contingat. Et licet huiusmodi scrupulares minimasq; sectiũculas medicus non cõsideret, uerum tamen est quod diximus, si in illa propinquitate temperantia consisteret, temperaturam non posse assignari temperatissimam, et, ut sequens est, nec salubritatẽ optimam, quæ semper talis appellatur. Sed ut hæc à medico sunt aliena, ita ab eo pariter aliena est opinio, quæ in huiusmodi propinquitate scrupulosam hanc indaginem requirente, optimam reponit salubritatem. Quanto melius fuerit in exacta mediocritate reposuisse, re certa & stabili, et per quam reliquę omnes sanitates facile agnosci ualeant & mensurari? Corpus igitur hanc exactissimam primarum qualitatum æqualitatem habens, licet raro, inueniri tamen Galenus multis in locis monstrauit, sed præsertim in libro quem, quoniam ei peculiariter dicatus erat, de optima corporis pręparatione inscripsit: nec aliquãdo inueniri et perdurare posse negauit. Nam quod ex Salubriũ lib. affe-

runt, non de ſalubritate, ſed de ſanitate intelligendum, quæ in ſuo ſupremo & perfectiſſimo gradu ideo à medico non eſt conſiderãda, ne ſecum ſempiternæ paſſionis dogma occulte nobis inuehat. Si enim id ſolum corpus exiſtimandũ eſt ſanũ, quod omnibus numeris completam & nullatenus labefactatã poſſidet ſanitatẽ, cum hęc uel nunquam fuerit, uel momento tantum temporis perdurauerit, occurſantibus uidelicet aſſidue uel intra uterum adhuc latitanti, mille rebus quæ eam perturbẽt: fit neceſſariò, ut quodlibet corpus, etiã id quod eſt ſalubritate ſumma præditum, ſemper ægrotare fatendum ſit. quod nihil aliud eſt quàm ſempiternæ paſſionis dogma defendere. Salubritatẽ autẽ ſummã nunquam legimus Galenum negaſſe, quam eſſe aliam à ſanitate ſuprà oſtendimus & in hoc libro præcipue conſiderari: eiusq; ignorantiam uel cum ſanitate confuſionem, occaſionẽ neotericis præbuiſſe multipliciter errãdi. Nam quæ afferunt de dentientibus pueris, de muliere parturiente, & ſi qua ſunt huiuſmodi, ut id aduerſus ſummam & perpetuam ſanitatem momenti habere uideantur, in nullo tamen ſalubritatem impediũt, ut quam & à morbis alijs non fecimus immunem. Tertio dubitãt nõnulli, an eodem tempore multa tam perfecta corpora eſſe poſſint. Aponenſis in Conciliatore, differen. decimaoctaua, ex tribus temperaturis quas ad iuſtitiam æquales uocat, primam uel non inueniri, uel non permanere niſi in momento exiſtimat: ſecundam rariſſimã adeò eſſe, ut duo pariter eodem tempore habere eam non poſſint, quoniam ad eam producendam cõcurrat Iouis & Saturni in prima arietis parte coitus, quem maximũ Aboaſaris uoce appellat, cum alijs non nullis aſtrorũ configurationibus. Sed ut errorem iſtum circa maximos quos uocant coitus, ueluti multis aſtrologis cõmunem, ei donemus, certe negare non poteſt, quæcunq; ſit illa uis è cœlo deſcendens, eam poſſe multis pa-

tis pariter cõmunicari. Quod si ad uerticalem cœli punctum refugiat, effugere tamẽ non poterit, quin eadem linea à quouis cœli puncto ad terræ centrum accedens, plures mulierum uteros possit attingere. Se de his aliàs: nunc pro constanti habentes, plura corpora semper salubria eodem tempore esse posse: quod neqꝫ ipse inficiatur Aponensis. Ad corpus salubre multum conuertamur, quod sic definit Galenus:

GALENVS.

Vt multum autem, quod ab optima præparatione non multum abest.

MANARDVS.

Licet hæc definitio salubris multum, intelligi ex prioribus possit, eam tamen facilioris doctrinæ gratia sic explicamus. Corpus salubre multum, est corpus à generatione temperatum in simplicibus, et commoderatum in instrumentalibus, non optimo temperamento, aut commoderatione, sed illis propinquis. Vocatur autem hoc nomine, quia neqꝫ aptũ est resistere his quæ extrahere à naturali habitu possunt, sicuti id quod est salubre semper: neque functiones ita perfecte absoluere: & per hæc duo inferius ab illo distinguetur. Alioqui exiguus adeò est eius lapsus, ut ne apponere quidẽ aptus sit, sicut dicit idem Galenus in libello de optima corporis præparatione. Vt ex his dubitatio eorũ soluat̃ qui dicunt, si sensu differentia non apparet, quomodo eam medicus, qui artifex est sensum sequens, cognoscet? Respõdemus, sensu differẽtiam non agnosci, si quis indicia salubritatis considerauerit quæ ex colore, capillis, tactu, atqꝫ id genus reliquis assumuntur. At si operationes uel uim repugnandi causis morbosis aduerterit, exiguum quidem, sed discrimen tamen aliquod comprehendet, cuius dignotio ex sensibus nihilominus nascetur. Et sic excellentia illa sensibilis est, qua operationes salubris

ſemper, eas quæ ſunt ſalubres multũ, antecedũt. Senſibiliter quoq; eas excedere fatendum eſt: argumentum enim quo Forliuienſis utitur ad probãdũ, Non ſequi, hoc excedit illud excellentia ſenſili, ergo excellit ſenſibiliter: merè ſophiſticum exiſtit, & per fallaciam peccans, quæ figura dictionis nuncupatur. Sic enim argumentatur: Res mille pedes & digitum longa, rem quæ tantũ mille pedũ ſit, exceſſu ſenſili excellit, digito enim excellit, qui ſenſilis eſt, nec tamẽ ſenſibiliter excellit: igitur non omne quod excellit aliud ſenſili exceſſu, illud excellit ſenſibiliter. Falſum quippe eſt quod ſupponit: non enim quicquid in ſe ſenſile eſt, excellentia quoq; ſenſilem facit qualicunq; rei commiſceatur. Nam nec uaſtus quidem lapis, licet ualde ſecundum ſe ſenſui pateat, in maximo lapidum aceruo excellentiam ſenſilem faceret. Sed neſcio quo modo ad hæc ſophiſtica uel inuitus trahor: potius erat ad inſalubria conuerti, de quibus ita loquitur Galenus:

GALENVS.

Aegrotabile autem ſimpliciter corpus eſt, quod ex generatione aut diſtemperatum ſimilaribus, aut incommoderatum inſtrumentalibus eſt, aut utroq;.

MANARDVS.

Aegrotabile ſimpliciter corpus ſicuti extremè oppoſitum eſt ſalubri ſimpliciter, ita oppoſitam ei habet definitionem, his exceptis quæ utriq; ſunt communia, ſcilicet genere & prima differentia, qua conuenit omnibus ſimpliciter talibus, et ab his differt quę talia ut nunc nominantur. Cum enim corpora ſimpliciter talia à generatione eſſe oportere ſuperius oſtẽdimus, nõ ea quæ ut nũc, non mirandũ ſi corpus ſalubre per copulationis notam, ægrotabile per diſiunctionẽ definit. Nam præter id quod dicunt dialectici, copulatiuam & diſiunctiuam

uam enunciationē & oppositis partibus constantes inuicem opponi, notum & illud est, ad constituendum omnia requiri, ad destruendum satis esse si unum eorum desit quæ ad hoc ut res existat sunt necessaria. Quod si cūcta desint, multo magis interire rem necesse. Ex duobus ergo ad salubritatem simpliciter necessariò concurrentibus, bona uidelicet temperātia in similaribus particulis, & commoderatione in instrumentalibus, alterius si præstò sit oppositū, uel scilicet distemperantia uel incōmoderatio, ęgrotabilitas statim nascitur: et si utraq; pariter, tanto magis corpus ęgrotabtle uidet. Verbum autem ægrotabile loco ægri suppositiui restitutū, multas recentiorū ambages aufert. Quod uerbum si in medicinę definitione legisset Arabs expositor, sicuti in hoc loco legit, in tam absurdā non incidisset expositionem, ut diceret Galenum dum medicinam definit, hoc corpus non agnouisse, sed nunc primo cœptum cognosci scriptis mandasse. In qua expositione quot sint fatuitates, non est nunc ocium persequi: sed qui eas cupit cognoscere, nec per seipsum ualet, ad Drusianum recurrat, amplę errores Arabis recensentem: qui tamen nihilominus ob id uerbū utrobiq; sua traductione repetitum, ab errore immunis fuit, putans dispositionē contra naturam de nouo accidentem, ægritudinem simpliciter dici non posse: ex hoc enim sequitur, tabem, cancrum, elephantiam, & demū pessimos quosq; morbos absolute et simpliciter dici non posse ægritudines. Quo errore nec ille minor, cæcum & claudum à generatione, nec ægros esse, nec lęsionē in operationibus habere, quas nunquam habuissent: sic enim hæres cui hæreditas quam nunquam possedisset, esset sublata, non posset se læsum conqueri: &, ut in terminis nostris simus, quod natus cum sex digitis, uel cum quatuor, uel cum obstructione quæ infimi liquidi excrementi exitū prohiberet, male à Galeno inter ægros numerantur. Non

ſolum autem illius uerbi occaſione errauit, ſed & ipſe met libens & uolens impegit, dicens definitioni addendum eſſe extreme, quaſi non ſit inſalubris ſimpliciter, niſi qui ſummam habet indiſtemperantiam uel incommoderationē. Quod ſi uerum ſit, non ferè fuerint plures homines inſalubres quàm ſalubres: paucos enim uidemus qui ad ſummum illum uel intemperātiæ uel incōmoderationis gradum à natiuitate peruenerint, cum tamen plurimi manifeſte diſtemperati & incommoderati undiq; nobis occurrant. Neque ob neutra corpora addere illud uerbum, extreme, neceſſe eſt: ſiquidem uerè neutra ſicut non ſunt ſimpliciter temperata uel commoderata, ita nec ſimpliciter diſtemperata aut incommoderata dici poſſunt, ceu ab utriſq; extremis æqualiter ſummota: ut propterea ſatis à definitione hac remoueantur, præter hoc quod uerbum extreme ſuperaddatur. Eiuſdē quoq; uerbi, id eſt *ægra*, occaſione, lapſus eſt Gentilis, putans peſſima ægritudine affectum corpus hoc loco definiri: quæ ſententia quantum ſit à Galeno aliena, præter ea quæ hactenus dicta ſunt, inferius euidentiſſime cognoſcetur, cum ad eius loci expoſitionem deuenerimus, ubi latitudines ſanitatis in corpora ſalubria, ægrotabilia, & neutra, Galenus conſcindit. Nosq; ueræ Galeni literæ hærentes dicimus, ægrotabile ſeu inſalubre corpus hic definiri, quod actu quidem ægritudinem neq; includit neq; excludit, ſed à naturali quadam impotētia & imbecillitate tale dicitur, qua labi facile in ægritudinē eſt aptū, licet neceſſariò nō ſit ægrū, imò nihil obſtet, quo minus aliquando & ſit & dicatur ſanum, quandiu uidelicet cauſis ægrotabilibus non ſuccūbit, pro quo etiā tempore ſalubre nunc, ſicuti quādo iam ab eiſdem cauſis uictū actu ægrotat, ægrum dici poteſt. An uero tūc, quo tempore ægrotat, appellari inſalubre nūc poſſit, paulò poſt oſtendetur, ubi prius quid ſit inſalubre nunc, didicerimus: quod definiens ait:

GALENVS.

Aegrotabile nūc eſt corpus in eo ægrotans tempore in quo tale eſſe dicitur. Manifeſtū autē eſt, quod et hoc in quo tempore ęgrotabile eſſe dicitur, aut diſtēperatū eſt in ſimilaribus, aut incōmoderatū in inſtrumētalibus, aut utraq;.

MANARDVS.

Aegrotabile nunc corpus, breuiter et facile Galenus definit, dicens id eſſe quod pro eo tempore quo tale, id eſt, ægrotabile dicitur actu, à morbo moleſtat. Deinde oſtēſurus in quo ægrotabili ſimpliciter cōuenit, ſubdit, manifeſtum eſſe quod pro eo tempore quo eius nomen ſuſcipit, rationis quoq; aliquo modo particeps exiſtit, adeò ut pro tunc uel diſtemperatum in ſimilaribus, uel incōmoderatum in inſtrumentalibus ſit, uel utrūq; ſimul habeat. Vbi aduertendum, hoc ſolum inter corpora in medicinæ definitione concluſa, à ſanitatis limitibus penitus excidere, ut quod iam actu ægritudinem patiatur, ſanitati ex aduerſo ſe habentem; quo fit, ut ægrum dici ualeat; quod nullum aliorum poteſt, niſi quatenus aliquo modo huius rationem ſubit. Quam ſubire corpus ſalubre nunc cum nullatenus poſſit, utpote rationem huius rationi repugnantem ſortitum, nec ægrū nec ægrotabile nunc aliquando erit, niſi priorem rationē amiſerit, qua ſalubre nūc reddebatur. Fieri enim non poteſt, ut id quod ſanū degit, ſimul etiā ægrotet, niſi ſecundū modū in neutro inferius declarādū. Salubre autē ſimpliciter, dum à morboſis cauſis ſuperat, proprijſſime inter omnia ægrotabile ut nūc uocat; quoniā cum ſit abſolute ſalubre, pro eo tamen tēpore inſalubritatē ſubit. Neutrū ſimpliciter minus proprie quidē, quatenus inſalubritati abſolute aliquo modo propinquat; magis tamen proprie quàm inſalubre ſimpliciter, quod improprijſſime inter omnia ut nunc ægrotabile

dicit̃: sicut improprie dicimus aliquẽ nunc pauperem, qui simpliciter & absolute est pauper. Et si quis quæreret, quare admittis, ut insalubre simpliciter dicatur insalubre nunc, quum non admiseris, salubre simpliciter salubre nũc dici? Responderẽ, quod nota, nunc, addita salubri, minuit perfectionem: addita insalubri uel ægrotabili, non minuit, quin potius auget malitiam, imò ut uerius dicatur, nouam adijcit malignitatem, extra sanitatis latitudinem ad contrariam agens, in qua omnia collocanda sunt corpora, quæ uerè ægra, id est, in operationibus sensibiliter sunt offensa. Repugnat ergo salubri simpliciter exactam habenti salubritatem, ut imperfecte & diminute salubre uocetur. Non æque repugnat insalubri simpliciter, quod naturalem habet imbecillitatem, ubi eam malignitatẽ incurrerit ad quam suapte spõte erat propensum, ut ratione acquisiti affectus insalubre nunc uocetur. Magis tamen propria erit locutio, si absolute ægrotabile nuncupetur: & si quis est qui insalubre nũc eum dicere abhorreat, definitionem ęgrotabilis nunc ita intelligere debet, ut relatiuum tale, non totum illud insalubre nunc, sed solũ insalubre referat: & sit sensus, illud dici ęgrotabile uel insalubre nunc, quod pro tempore, pro quo dicitur ægrotabile, ægrotũ actu est, ut excludatur ægrotabile simpliciter, quod pro aliquo tempore dicitur ægrotabile, quo non ægrotat. Quæ quidem expositio satis literæ accõmodatur: quædam tamen infra ubi de signis agendũ, à Galeno dicuntur, quæ huic sententiæ uidentur repugnare, de quibus loco suo uidebitur. Sed nunc quædam dubitationes discutiantur.

Primo, an hoc corpus sit insalubre simpliciter deterius. Arabs siquidem expositor minus malum putasse uidetur, dicẽs Galenum ita incepisse à meliori corpore inter ægra, sicut à meliori inter sana superius inceperat. Sed cum peruersa litera huius sententiæ ei occasionem

præbue

præbuerit, secũdum quam præcedenti particula ægrotatiuũ, hic & in sequenti ægrũ legebatur, nemoq́ posſit ambigere melius esse nunc, quàm semper, uel maiori ex parte ęgrotare, non sequendus quidẽ, sed tamen potius excusandus est, quàm acriter (ut Drusian. facit) accusandus, prę̃sertim cum eius expositio uerbis quæ reperit magis sit apposita, quàm expositio Drusiani: licet ad ueritatẽ propius accesserit Drusianus, putãs ægrum nunc deterius, tum quia optime sano oppositum, teste Galeno inferius, tum quia morti uicinius. Cui consentit Forliuiensis, si uniuersa congeries ægrotantium, uniuersæ multitudini sanorũ cõparetur, uel pessime æger omnibus sanis: si uero quis sanus omnibus ęgrotis, posse aliquem inueniri contendit qui multis ægrotis deterius se habeat: sicuti, exempli gratia, corpus sanum atrabilis succo à materia maxime affectũ, senioq́ cõfectum, iuueni robusto comparatum, qui ephemera febre aut leuiore aliquo morbo molestatur. Nemo enim tam demens fuerit qui non huius potius ægritudinem, quàm illius optet sanitatem, à qua & functiones imperfectiores proueniũt, & mors singulis momentis expectatur. Vgo licet Forliuiensem taxet, tam longe tamen eò processit, ut crediderit non esse adeò malam ægritudinem, qua deteriorem sanitatẽ semper non sit inuenire. Quod hoc argumento probat: Pessime ægrotans uiuit, ergo aliquãtæ perfectionis adhuc operibus fungitur. Quantumcunq́ autem exigua sit huiusmodi perfectio, minorem ea in sano semper inuenire contingit, qui ad mortem paulatim tendat: à qua cum omnes operationes penitos auferantur, sequitur, ut quantacunque operationum perfectione in pessime ægrotãte signata, ad minorem prius deueniat optime sanus, quàm per mortẽ omnes deperdat. Hæc sunt quę à maioribus nostris, præter Gentilẽ & Surmonetã, quos consultò præterimus, in hac dubitatione uisa digna sunt ut examinarentur,

quibus nostram sentẽtiam subijciamus. Nos tenemus latitudinem ægritudinum præternaturaliũq; affectionum, latitudine sanitatis naturaliq; quauis temperatura quantũcunq; salubritate semper excidente, esse absolute peiorẽ: siue enim summũ unius summo alterius, siue imum imo, siue medium medio comparemus, deterius in uniuersum præternaturales affectiones inueniamus. Nam quis nesciat pessimo morbo affectum, pessime à natura temperato, pro tunc tamen sano, deterius se habere: cæterorum semper (quod in huiusmodi operationibus est necessarium) paritate seruata, etiamsi in tantũ creuerit malum, ut eodem momento sit utriq; moriendũ. Alius enim, id est, pessime temperatus, lętus & alacer, absq; sensibili lęsione debitum non persoluet: alius multis pressus doloribus magna cum uiolẽtia animam potius extrudet, quàm reddet. Leuissimo quoque morbo impeditum nemo peius affici dubitauerit, eo quod naturaliter ab optima salubritate exiguo ceciderit interuallo. Idẽ de medijs iudiciũ, si æquus in utroque recessus intelligatur. Morientẽ uero ex senio si iueni leuiter ægrotanti non præferimus, non ipsa naturalis temperatura in culpa est, sed ætas & mors: alioqui neq; in cæteris seruatur æqualitas. Verum ubi par ætas sit, elegerit fortè quispiam ephemerã, à qua se speret postridie conualiturum. Nemo tamen non potius cupiat esse cum distemperãtia atrę bilis, sanus, quàm cum optima salubritate semper uehementissima et malignissima febre exæstuans. Non igitur ægritudo, sed sperata melior sanitas peiori sanitati præfertur: neque uerum est id quod nonnulli contendũt, illum ualde distemperatum, sanum, plus ab optime sano distare, quàm parũ ægrotantem: ægrum enim cum sit sano contrariũ, ab eo maxime distet necesse est, cum permaxime distare sub eodem genere Aristoteles contraria definiuerit: nulla autem maior distantia inueniri possit, quàm ea quæ inter

contradi-

cõtradictoria. Sanitatem uero & morbum per contradictoria definiri, suprà ex Galeno mõstrauimus. Ex his dilui posse arbitror, si à Forliuiensi afferuntur quæ nostræ sententiæ aduersari uideantur. Argumentum autem Vgonis non concludere, uel ex hoc patêre potest, quod per id æque licet oppositum, sicuti propositũ deducere: accipio enim & ego hominem qui per resolutionem, id est, naturali morte paulò post sit obiturus: ab hoc certũ est quãdiu uiuit determinatę perfectionis operationes expleri: qua perfectione in morituro ex morbi malignitate cõtingit minorẽ uel ad imaginationẽ inueniri. Quare si argumentũ Vgonis conuincebatur, qualibet ægritudine signari posse optimam sanitatem deteriorem: pariter ex meo conuincetur, quacunqꝫ pessima sanitate morbum inueniri deteriorem. Sed non magis concludunt huiusmodi argumẽta quàm hoc, Quacũqꝫ parte in corpore semipedali signata, est inuenire in pedali minorem: ergo pedale minoris est quãtitatis quàm semipedale: potestas enim continui qua habet ut in infinitum diuidi possit, facit ut quacunqꝫ particula signata minor inueniri possit. Et quia operationũ perfectionem, ueluti continuum quoddam intelligimus, ideo fit ut quacunqꝫ signata perfectione, minor possit intelligi: quia sicuti assignari non potest ultimum uitæ momentum, ita nec remississimam contingit signare operationum perfectionem cum quibus uita seruetur. Sed hæc in medici non conueniunt considerationẽ, qui sensum, non imaginationem sequitur. Et hæc quidem in hac dubitatione dixisse sufficiat. Nam quæ Gentilis opinionem circũstant, ad nos minime pertinent, qui non sanũ & ægrũ, ut ille, sed salubre legimus et ægrotabile. Quæ uero à Surmoneta, in tantũ sunt sophistica ut ea referre, nedũ refellere, pudeat. Alias quoqꝫ dubitationes mouẽt expositores, quas satius nobis uisum fuit non attingere, quoniam ex his quæ diximus solui possunt, uel ex cor-

ruptione literæ traxerũt originem. Ad residuum igitur literæ accedamus.

GALENVS.

Semper ægrotabile est id quod ex generatione uel distemperatissimũ est in simplicibus, & primis uniuersis particulis, uel quibusdã, uel principalissimis: aut instrumentis incommoderatissimum, similiter & in his, uel uniuersis, uel quibusdam, uel principalissimis.

MANARDVS.

Præsupposita corporis insalubris diuisione, in semper & magna ex parte tale, ueluti ex prioribus intellecta, primum eius membrũ, hoc est corpus semper insalubre, in hac parte definit: in qua definitione per relatiuum, quod, intelligere corpus oportet: per particulam, à generatione, principium, prout uerba sonant, generationis. Ex quo enim hoc corpus species quædã est simpliciter talis, ideo particulam habuit omnibus his communẽ, & quæ facit ut simpliciter talia dici possint, sicuti & quæcunque cuiuis rei à primo generationis conueniunt, absolute & simpliciter de re enũciari solent. Per adiectiuum, distemperatissimum, & similiter per aliud, incommoderatissimũ, differt ab insalubri multũ, quod summũ in altero duorum gradum non attingit, sed citra pauxillũ subsistit. Dicitur uel in omnibus, uel quibusdam, uel principalissimis, & aut distemperatissimũ, aut incommoderatissimum, quoniam non omnia ista simul necessariò adsunt ægrotabili semper corpori, sed sat est unicum adesse, ob rationes quæ superius in definitione insalubris simpliciter attulimus. Siue igitur omnes simplices & primæ particulæ pessime temperatæ sint, siue quædam, quæ tamẽ toti dare denominationem ratione molis, uel numeri sufficiant, siue paucæ quidẽ numero, & mole, maximũ tanem in corpore dominiũ gerentes,

insalubre

insalubre semper corpus reddunt. Maxime autem dominantes simplices particulas ego intelligo, ex quibus membra quæ principalia dicũtur, cor uidelicet, hepar, cerebrũ, & testes, cõposita sunt: ex harum enim temperatura, ea quæ totius est corporis maxime pendet, sicuti inferius ostendemus. Idem est de incõmoderatione iudicium. Hæc est corporis insalubris semper definitio: ex cuius declaratione patet, hoc corpus nõ ideo dici semper ægrum, quia sit in tota uita tale ut putauit Arabs expositor: nec quia sit pessimo morbo affectum ut Gentilis: nec quia semper potentiã habeat ad ægrotandum, quum ab hac quoq; salubre simpliciter corpus non sit immune: sed nec quia aptitudinem semper habet ut ægrotet, quum & hanc habeat insalubre multũ: nec quia aptũ sit ut ægrotet semper, quum temporibus nostris multa uisantur corpora pessime temperata, uictu etiam incongruo utentia, quæ non semper tamen ægrotent. Sed & corpora frigida & sicca temperatura, in quibusdã etiam principalibus membris affecta, ueris tempore, calido & humido etiam aëre existente, ad ægrotandum redduntur inepta. Sed dicũtur insalubria semper, ex naturali quadam imbecillitate, pessimaq; sanitate, ex qua & ad functiones exequendas, & ad repugnandum causis morbos inducere ualentibus, minus reliquis sunt idonea, & propterea tãto cæteris ad ægrotandum paratiora, ut semper ægrotabilia dicantur, uel imbecillia & insalubria. Vt uero cuncta hæc melius intelligantur, aliqua sunt dubia discutienda. Primo dubitatur circa diuisionẽ quam supponit Galenus: nam non uidet̃ quod simpliciter insalubre bene diuidatur per insalubre semper & multum: quoniam omne insalubre simpliciter est à generatione insalubre: omne à generatione insalubre est semper insalubre: sequit̃ igitur ut omne insalubre simpliciter, sit semper insalubre: & ex consequenti, quod non recte per semper & multũ tale

diuidatur. Firmari argumentum poteſt ex Ariſtotelis in prædicamentis ſententia, inſalubritatem ſub ſecundo genere qualitatis reponentis, naturalis potentia uel impotētia uocato. Quod enim naturaliter alicui ineſt, ei ſemper ineſſe, ipſemet Ariſtoteles pluribus in locis conteſtatur. Huic dubio iuxta Druſiani ſententiam dicendum eſſet, quod ab eo reſpectu quo inſalubre ſimpliciter eſt inſalubre, diuidi per ſemper & multum non poteſt, quum hoc ſibi connaſcatur, ut habitus, qui utrūq; ad finem uſq; uitę à generatione comitatur, adeò ut merito eius utrunque inſalubre ſemper dici mereatur. Sed præter hunc innatum & naturalem habitū, ineſt ſimpliciter inſalubri aptitudo quędam ad ægrotandum, cuius ratione quoniā inæqualiter ab utroq; participatur, diuidi per illa duo poteſt. Sed hæc reſponſio quamuis ſatis concinna uideat̄, mihi tamen non placet, tum quia irrationabile uidetur ut res definiat̄, ſtatimq; ſub alia ratione, non ſub ea qua fuerit definita, diuidatur. Definimus enim rem antequam diuidamus, ut ęquiuocatio omnis & multiplex ſignificatio auferatur, tum etiam quia ſalubritas & inſalubritas ſignificare habitū non uident̄, nec ad primā qualitatis ſpeciē pertinere, ad quam ſanitas & ęgritudo aliquo modo ſpectāt, non tamē ut habitus, ſed ut diſpoſitiones: ſalubritas et inſalubritas minime, ſed ad ſecundū potius, ſicuti ſuperius ex Ariſtotele eſt demonſtratum. Dicimus igitur, quæcunq; corpora inſalubria uere & abſolute ſunt, inſalubritatē quam à natura conſecuta ſunt, nunquā amittere: non omnia tamen æque eſſe inſalubria, ſed aliqua quidē in ſummo, quæ inſalubria ſemper, aliqua parum poſt ſummum, quæ ut multum, non ſemper nominātur: utraq; tamen ſemper, nomē inſalubris recipere, niſi fortè ad meliorē frugem per artem fuerint reducta: quod an fieri poſſit, inferius apparebit. Secundo dubitatur, quia non recte uidetur hoc corpus per ſuperlatiuum nomē definiri, tum quia

uel

uel unum tantum reperietur si positiue comparatio intelligat, uel pauca omnino numero si negatiue, quum pauca omnino sint, quæ ad supremũ hunc gradum pertingãt. In omnibus tamẽ rebus uidemus, mala quidem multa, bona uero pauca. Tum secundo, quia signare ultimum sanitatis momentũ oporteret: occurrente enim quacunq; causa quæ ad maiorem gradum possit extrahere, statim hoc corpus ægrotabit. Vltimũ autem momentum sanitatis signari non posse, uel ex hoc patet, quod dum corpus sanum degit, certam perfectionẽ uirtutis habet, per quam proprias explet functiones, quam subitò perdi est impossibile. Præterea insalubri semper corpore inuenitur insalubrius: igitur non recte per superlatiuum definitur. Sumptum patet, accepto corpore, cuius aliqua tantum membra summam habeant distemperantiam. Constat enim quod uel hoc ipsum, si in omnibus pariter membris ad æquam uenerit distemperiem, uel aliud quod summã in omnibus habeat distemperiem, priori existit magis distemperatum. Hæc dubitatio duas in se concludere dubitatiũculas uidetur: unam, an insalubritas semper latitudinem habeat: alteram, an multa simul corpora esse possint semper insalubria. Dicamus igitur, negari non posse, inter insalubria semper, aliqua magis, aliqua minus insalubria dici posse. Quis enim negauerit, corpus quod intemperatissimum omnibus membris sit, pariterq; in omnibus compositis incommoderatissimum, in quibusdam tantum membris intemperatissimo, esse insalubrius? Quod si plures insalubritati huic gradus assignamus, plura quoque ab ea denominata simul inueniri insalubria nõ est dubitandum, quę tamen omnia summe insalubria, eorum quæ non sunt semper insalubria cõparatione, dici poterũt. Id uero quod usquequaq; insaluberrimũ, raro inueniri fatendũ est, uixq; euadere posse quin semper ægrotet. Signari quoq; ultimum sanitatis momentum,

Non dari ultimum momentũ sanitatis.

præsertim à medico, non est absurdum: sicuti nec exiguam aliquam rem subitò perdi: quod & quidam dialectici non negauere. Et ex his dilui posse arbitramur, quæcunq; obijciebantur, & propterea ad corporis insalubris multum definitionem me conuerto: quod sic definit Galenus:

GALENVS.

Vt multũ autem ęgrotabile est corpus quod ab huius malignitate recedens, nondum in medio consistit.

MANARDVS.

Haud difficile fuerit his qui insalubris semper definitionem intellexere, hãc quoq; intellexisse: eiusdẽ enim naturæ utraq; corpora sunt, maioris minoris ue malignitatis ratione, solũmodo inuicẽ differẽtia, quæ in hoc quidẽ aliquãtisper minor existit, non eatenus tamen, ut ad medium pertingat, in quo neutra corpora sedem habent, sicuti paulò inferius apparebit. Huius deminutæ malignitatis ratione insalubre multum hoc corpus nominatur, non quod & ipsum malignitatem suam semper non possideat, sed quod minorem habet imbecillitatem, & propterea non adeò pronum est, ut ab occursantibus morbosis causis euincatur. Quæ ideo sibi contingunt, quia tametsi uel intemperaturam, uel incommoderationẽ habet, non tamen summam. Vt uero eius natura aliorumq; insalubriũ locupletius noscatur, nonnullas adhuc quæstiunculas disputemus. Primo, an omne corpus simpliciter ægrum, sit sanum ut nunc. Ad quam dubitationẽ breuiter respondemus, tantum abesse, ut omne corpus ægrũ simpliciter, sit sanum ut nũc, ut ne unum quidem reperiri possit: sed & contrarium potius sit uerum, nullũ uidelicet simpliciter ægrum esse sanum nunc: sequitur enim iuxta bonam dialecticam, nullum ægrũ est sanum, igitur nullũ ægrum est sanum nunc.

Nullum corpus simpliciter ægrũ, esse ut nunc sanum.

nunc. Quam ſequelam ſi quis negauerit, hanc certe negare non poteſt: Nullum ægrum eſt ſanum nunc, ergo nullũ ægrũ ſimpliciter eſt ſanũ nunc. quũ ſit ſimilis huic: Nullum animal eſt carẽs tactu, igitur nullus homo eſt carens tactu. Quas argumentationes, una addita propoſitione, referre ad formam ſyllogiſticam non eſt difficile: ut ſi illi addamus, Omne ſimpliciter ægrum eſt ægrum: erit enim ſyllogiſmus in ſecundo modo primæ figuræ, hoc modo: Nullum ægrum eſt ſanum, omne ſanum nunc eſt ſanum, ergo nullum ægrum eſt ſanum nunc. Sequitur enim immediate & directe, quod nullum ſanum nunc eſt ægrũ: & ex hac per conuerſionem in terminis, nullum ægrum eſt ſanũ nũc. Vnde etiam fit ut hæc ultima concluſio, ex illis duabus propoſitionibus ſequatur, quoniam eiuſdem ſyllogiſmi poteſtas eſt ad uarias inferendas cõcluſiones, iuxta Ariſtotelis ſententiam in prioribus reſolutiuis, à recentioribus dialecticis non animaduerſam. Firmiter itaq; tenendũ eſt nullum ægrum uel ſimpliciter uel ut nunc, eſſe ſanum: neque è contrario: ſed ſanum & ægrum ueluti uera contraria uniuerſaliter à ſe inuicẽ ſeparari. Nec uſquam inuenies Galenum aliter de ſano & ægro loquentem.

Quod uero Druſianũ & reliquos ad aliud credendum impulit, fuit peruerſa traductio, in qua pro ſalubri & ægrotabili, ſanum & ægrum legebatur, ſicut ſuperius in multis locis dictum eſt: quod non ab re crebrò nos inculcamus, ſcientes quàm ſit difficile errorẽ qui iam altiſſimas radices adegit, è mentibus hominũ euellere. Sed dixerit fortè quiſpiam, me de uerbis calumniam ſarcire, uerbisq; immutatis, omne corpus ſimpliciter ęgrotabile, eſſe ſalubre nũc. Hoc argumento probabit, corpora ægrotabilia, Galeno inferius teſte, ſunt in latitudine ſanitatis, ergo ſunt ſana, et ut ſequens eſt ex definitione ſalubris nunc, nunc ſalubria, quum hoc tempore ſana degant. At non minus probabili argumẽto cõtrarium

Vnde Druſian. & alij decepti.

fortè hoc modo quis deducet: Omne ęgrotabile ſimpliciter eſt ſalubre nũc, aliquod ægrũ eſt ęgrotabile ſimpliciter, ergo aliquod ægrum eſt ſalubre nũc. Syllogiſmus eſt in tertio modo primæ figuræ. Concluſio eſt impoſſibilis, igitur aliqua propoſitionum: non ſecunda, ergo prima. Concluſionem eſſe impoſſibilem ex eo oſtenditur, quia ex ea ſequitur aliquod ægrũ eſſe ſanum, quod ſuprà oſtendimus impoſſibile: omne enim ſalubre nũc eſt ſanũ, ut ex ſuperius expoſita conſtat definitione. Secundum uero ſumptum, id eſt, aliquod ęgrum eſt ægrotabile ſimpliciter, ſatis euidens eſt ex propoſitione quæ in ipſum in terminis conuertitur: Aliquod ægrotabile ſimpliciter eſt ægrũ. Non ſolum enim poſſibile eſt corpus ægrotabile ſimpliciter eſſe ægrũ, ſed difficile eſt facere ne ægrotet. Nos igitur utranque rationem aliquo modo concludere uerũ fatemur, & propterea dicimus, id corpus quod eſt inſalubre ſimpliciter, quatenus quidem ſanũ eſt, in ſanitatis latitudine collocari, & dici pro eo tempore quo ſanum eſt, ſalubre nũc poſſe: ſed quoniam idem ægrotare poteſt, & dum ægrotat adhuc inſalubre ſimpliciter permanet, ideo nõ eſt abſolute concedendum, omne inſalubre ſimpliciter eſſe ut nunc ſalubre, ſed tantiſper dum præter naturam non labitur. Et hoc pacto inter duos ex aduerſo litigãtes, arbitri officio fungentes litem dirimimus. Rurſus ambigi poteſt, an ſanum & ægrum eaſdem admittant diuiſiones, quas ſalubre & ægrotabile. Gentilis enim magni in medicina nominis uir, quum ſanum & ęgrum ita hoc loco intellexerit, ſicuti alibi à Galeno fuerãt declarata, haſce tamen diuiſiones tali modo coaptare nixus eſt, ut id diceret ſanum ſimpliciter, quod optimam & ſtabilem ſanitatem obtineret: illud ut nunc, quod exilem uel permutabilẽ: & pari pacto id ſimpliciter ægrum quod peſſimum & duraturum cõtumacem ue morbum pateretur: id ut nũc, quod leuem, uel minime ad perdurãdum

idoneum.

idoneum. Cui ſententię Galeni uerba quantum ualuit ſtuduit cõcordare, id in hoc peccans, quod & ipſe aliàs, & alij plerunq; recentiores conſueuerunt, non ex uerbis autorum ſentẽtias elicientes, ſed ad propria dogmata uiolentia quadam uerba ipſa diſtrahẽtes. Nos à uerborum ſerie, proprioq; ſignificato minime recedentes, non ſanum & ægrum, ſed ſalubre & ægrotabile, & definiri & diuidi à Galeno mõſtrauimus. Et quia nũquam inuenimus Galenum ægrum & ſanum per ſimpliciter & nunc, eo modo quo ſalubre & ægrotabile diuidentem, ideo abſolute negamus ſecundum Galeni doctrinam, ea ſic fore diuidenda. Alioqui neque nomina ipſa, neq; nominũ ratio, talem patiuntur diuiſionem: quandiu enim quis decentes ſibi operationes exercere ualet, etiã ſi imbecillis natura, uel caſu ſit, ſanus tamen & ſimpliciter ſanus, hoc eſt, abſq; alterius modificationis addi tamento dici debet: ſtultũ enim eſſet aliquem non putare ſanum, quia Herculis uel Achillis ſanitatem non haberet, ſicuti primo ſalubrium docuit Galenus. Quoties uero non naturaliter ita impeditus quiſpiam fuerit, ut exercere conſuetas functiones non poſſit, etiam ſi leuiter, abſolute tamen & ſimpliciter, ægrotare dicendus eſt: de quocunq; enim definitio, de eodem etiam definitum ipſum abſolute prædicari, apud dialecticos notum eſt. Quum ergo omne corpus humanũ, uel conſuetas, ſibiq; cõgruas operationes exercere ualeat, uel non ualeat, ſequitur ut uel ſanũ, uel ęgrum ſimpliciter & abſolute dici debeat: & ſi aliquod eſt corpus quod ſanũ nunc dici mereatur, idem & ſimpliciter ſanum erit: & quod nunc ægrum, ſimpliciter & abſolute ægrũ. Quantumuis enim exigua & imbecillis ſit ſanitas, ſi communem cuilibet ſanitati rationẽ ſubit, abſolute & ſimpliciter ſanitas eſt: ſicuti & parua quæcũq; ægritudo, ſi adeò moleſta fuerit, ut operationes, quemadmodum diximus, offendat, ægritudo ſimpliciter et abſolute dici meretur.

Quæcunq; uero affectio adeò exigua est, ut oblæsionē operationibus inferre nequeat, eam non ęgritudinē ut nunc, sed sanitatem potius appellabimus, ita tamen ut horum omnium semper sensus sit iudex, sicuti Galenus inferius docebit. Sed dicet fortè quispiam: Vnde est quod in salubri & ægrotabili diuisionem illam admittimus, et nō pariter in sano et ægro? Dicemus, in nomine & ratione salubris, sanitatē aliquo modo includi: cuius ratione fit, ut id quod sanitatem habet, licet absolute insalubre sit, pro eo tamen tempore quo sanum est, salubre aliquo modo dici ualeat. Similiter in nomine & ratione ægrotabilis, ægritudo quodammodo datur intelligi: & ideo corpus ægrotans, etiam si salubre simpliciter sit, pro eo tamē quo ægrotat tempore, dici insalubre potest. In sani autem & ægri rationibus nihil tale includitur, cuius participatu huiuscemodi locutio admitti debeat, sed ut primo de locis affectis sensit Galenus, quantulusc ūq; morbus sit, propriam tamen speciem habet. Rursus ambigi potest, an corpus ægrū nunc, & ægrotabile nunc, inuicem reciprocent, adeò ut omne ęgrum nunc, sit insalubre nunc: et è contrario, omne insalubre nunc, ægrum nunc. Videtur enim ita esse, eo quod in ægrotabilis nunc definitione, ægrū differentiæ loco ponebatur. Solet autem ultima differentia cum definito reciprocare. In contrarium est, quod corpus simpliciter salubre insanabili aliquo morbo, ut tabe, uel elephantiasi oppressum, ęgrotabile nunc dici potest, ægrū nunc nequaquam, quum radicatā adeò ægritudinē patiatur, ut nullo ualeat ingenio separari. Respōdemus, tantum abesse ut reciprocent, ut neutrum de altero uniuersaliter enuncietur: quum neq; omne insalubre nunc, ægrum nunc, neq; è contrario omne ægrum nunc, insalubre nunc dici possit. Corpus enim simpliciter salubre incurabili morbo (ut dicebatur) affectū, ægrotabile nūc esse, definitio demonstrat, quoniam pro tempore quo

tale

tale dicitur ægrotat. Aegrũ ut nunc dici, habitualis morbus non ſinit, uſqueadeo pertinaciter hærens, ut nullo ingenio diuelli poſſit: & propterea faciens, ut ægrum potius ut ſemper, quàm ut nunc dici mereatur, ſi alterutro tamen modo nuncupandum. Si quis etiam ita definitionem ægrotabilis nũc intelligat, ut ægrotabile ſimpliciter excludat: ei proculdubio conſtabit, corpus ſimpliciter ægrotabile facilis curationis morbo impeditũ, quum inſalubre nũc dici non poſſit, ægrum tamen nũc & eſſe & dici. Quicquid uero de hoc ſtatuitur, omnino id firmum manet, inſalubre nunc, cum ægro nunc minime reciprocare: neq; definitio id probat, in qua non ægrum nunc, ſed pro eo tempore eſſe ęgrotans corpus inſalubre nunc, dicebatur: quæ longe diuerſa ſunt, ubi ſcilicet aduerbium nunc, nomini, non uerbo coniungatur. Cui niſi cõiungatur, uniuerſa Galeni machina corruet, quum omnia ſimpliciter talia, nunc eſſe talia, id eſt, in pręſenti tempore ſit neceſſe. Sicut enim quicquid eſt, nũc eſt, ita quicquid ſalubre eſt, nũc ſalubre eſt, & quicquid inſalubre, nũc inſalubre. Secus autẽ eſt ſi aduerbiũ, nunc, nominibus coniũgatur, ſicuti ſuperius à nobis latius eſt declaratũ. Sed rurſum obiiciet alius: Si ægrũ & ſanũ ſimpliciter, ut aſſerere iam uideris, non ſunt idẽ ſano & ægro ut nũc, quare negabas ſanum & ægrum diuidi poſſe, per ſimpliciter & nunc? Dico, præter ea quæ ſuperius ſunt ſcripta, ex hoc etiam diuiſionẽ illam prohiberi, quod omne ſanũ ut nũc (ut ſuprà mõſtrauimus) abſolute et ſimpliciter eſt ſanum: eodemq; modo omne ægrum ut nunc, ſimpliciter ægrum: non autem è contrario: quum, ut oſtendimus, nonnullæ ſint huiuſcemodi affectiones, quę fixas adeò radices adegerunt, ut ſempiternæ potius quàm momentaneæ, uel ut nũc dici poſſint: unde fit, ut ſimpliciter ſanum, nunc ſano comparatum, rationem habeat generis: ſimiliter & ægrum, ægri nunc reſpectu. Quare ſicuti corpus animatum in

animal et hominem: ita sanũ, in sanũ simpliciter & nunc diuisisse, absurdum est.

Demum dubitatur, an affectiones quas ut nunc diximus uocari, à primordijs ita contrahi ualeant, ut cum illis corpus generetur. Quum enim Galenus definitionibus affectionum simpliciter dictarum, particulam à generatione, semper addiderit: his quæ ut nunc, nunq; tacite insinuasse nobis uidet, eam affectionibus his minime conuenire, nec ut sequens est corpora ut nũc uocata, posse talia nasci. Cõtrarium tamen nobis omnino uidetur, posse uidelicet cum singula affectione, ut nunc uocata, hominem generari. Quoniam nihil uetat generationis principia, genituram uidelicet & sanguinem ita affici, ut quamcunq; temperaturã iam genitum corpus ab intranea causa ualeat incurrere, eam possint in generãdum fœtum introferre, siue naturales siue præter naturam sint. De naturalibus neq; ipse puto negasset Drusianus, licet contrariam nostrę tueri opinionem uideatur. Quis enim neget similibus temperaturis naturalibus, primordia generationis affici in parentibus posse, quibus iam genitus fœtus afficitur? Præternaturales uero aliquando connasci, quotidiana mõstrat experientia, quũ uideamus non minus hęreditarios morbos filijs contingere, quàm hæreditarias possessiones: quod in pessimo illo morbo, quem Gallicum uocant, crebrò hoc tempore inspicimus, miserrimos infantes ex materno utero luem illam teterrimam ferre animaduertentes. Quod ne in nutrimentũ referatur, facit aliud experimentum: quoniã paternos morbos quibus tunc quando scilicet generatio fit carent, in natos quandoq; transfundi uidemus. De compositione non est quod laborem, quum eam semper secum extra uterum infans ferat, quam est in utero matris consequutus, nisi ex accidenti quid fortè contingat, quod eam ualeat deturbare. Sed & sextus digitus, tertius testis, tertia mamma, id-

que

que genus reliqua, nõ aliter ꝗ ex generatione possunt euenire. Vt igitur ad finẽ nostra iam tendat oratio, si omnia tam naturaliũ ꝗ præternaturaliũ affectionũ genera, à primordijs naturæ possunt cõtingere, quis non uideat, cum quauis affectione ut nunc, posse fœtũ generari? Si enim sanitas ut nũc, imperfecta quædã est sanitas, labefactam quandam, uel temperaturam, uel compositionẽ sequatur necesse est, quas ostendimus æque ab initio, sicut postea posse cõtingere. Relinquitur igitur cum sanitate ut nunc posse quempiam generari. Idem de ægritudine ut nunc dicendum, quum & ipsa sit mala quædam, uel compositio, uel temperatura, uel ex ea necessariò sequat̃. De neutralitate est idem iudiciũ. De insalubritate, si concedamus insalubre simpliciter dum ægrotat, esse ut nunc insalubre, quum ex dictis clarum sit, insalubre simpliciter posse cum ægritudine nunc gigni: concedendum quoq; erit, insalubritatem ut nunc, posse simul cum ipsa introduci. Si quis autem putet, solum salubre simpliciter posse dici insalubre ut nũc: tantum continget de hoc dubitare, quantum dubitare contingit, an salubre simpliciter possit cum ægritudine generari: quod fortè uidetur impossibile: quoniã si principia generationis adeò fortia sunt, ut optimam temperaturam, optimamq; compositionem possint producere, præternaturalem compati ægritudinem non uidentur. Nisi fortè quis imaginetur, cunctis optime iam pro fœtu dispositis, extraneam aliquam simul cum introductione formæ causam occurrere, quæ fœtũ præternaturaliter inficiat, naturali non abolita salubritate, sed ita sub illa ægritudine in utero latitãte, sicuti aliquando extra uterum: atq; hoc modo absolute concedi poterit omnem affectionẽ ut nunc uocatam, posse à generatione contingere. Non ex hoc tamen sequit̃, debuisse eam particulã ita horũ definitionibus addi, sicut illorum quę simpliciter sunt talia: non enim id quod aliquando,

ſed id quod ſemper definitio explicat. Incipere autem à generatione omnibus ſimpliciter talibus cõuenit, non omnibus nunc talibus. Ridenda enim potius quàm reprobanda eſt Surmonetæ ſententia, putantis diſpoſitionem præter naturam neceſſariò à generatione cuilibet connaſci. Sed diutius fortè quàm par eſſet in inſalubribus morati, iam ad neutra tranſeamus.

GALENVS.

Quoniã neutrum corpus tripliciter dictum eſt: hoc quidem eo quod neutrius extremarum affectionum eſt particeps, hoc quia utrarunq; illud quia interdũ huius, interdum illius eſt particeps. Iuxta primum ſignificatum, neutrum eſt corpus quod medium exacte exiſtit ſaluberrimi & ægrotabiliſſimi corporis.

MANARDVS.

De neutris corporibus tractaturus, trimembrem ſuperius poſitam repetit diuiſionẽ, ut ſcilicet uel neutro, uel utroq;, uel modo hoc, modo illo extremo participare neutrũ intelligatur. Inter quæ prius de eo agit, quod neutrius eſt particeps, ut in quo uerius neutrius ratio, quàm in reliquis reperiatur. Hoc enim eſt proprijſſime neutrũ eſſe, neq; ab hoc, neq; ab illo aliquo modo comprehendi: non ut Arabs putauit expoſitor, utrunq;, ſed impermixtum, olei et aquę modo in ſe habere: eſt enim hoc utrũq; potius, q̃ neutrum eſſe. Nec ut alij, à neutro extremorũ nominari, quum & hoc ſit etiã neutro ſecundi modi (ut ſuo loco monſtrabitur) commune. Et quoniam pingere & quaſi ante oculos ponere omnia hæc corpora uolebat, meritò hoc corpus per eius poſitũ inter extrema definiuit, per eſſe uidelicet exactè & ad amuſſim medium inter ſaluberimum & ægrotabiliſſimum. Nam præter id quod ex extremis quæ excludit,

eius

eius natura facile agnoſcitur: ſimul etiam figuram effingere diſcimus, uniuerſa ſana corpora comprehendentem. Scitis enim extremis & medio, haud difficile fuerit reliqua corpora ſuo quodq; loco collocare, ſecundum quod ad unum, uel aliud extremũ accedere uidebũtur. Quid uero ſit per ſaluberrimũ & ægrotabiliſſimũ corpus intelligendum, nemini poteſt eſſe dubium, qui ea in memoria habuerit, quæ de ſalubri & ægrotabili ſuperius ſunt declarata. Salubre enim ſemper, cæteris ſalubribus, ſemper ægrotabile, ægrotabilibus præſtare oſtendimus. Vnde fit quod hoc ægrotabiliſſimum, illud ſaluberrimũ, meritò & dicatur & ſit: ut erraſſe illi manifeſte deprehendantur, qui uel peſſimo, uel quocunq; morbo affectum, hic pro altero extremo intellexerunt. Tam enim differt ægrotabiliſſimũ ab ægerrimo, quàm ægrum ab ægrotabili. Medium autem non tranſitione & inceſſu, ſed poſitu, ut diximus, & interuallo, intelligendum eſt: alioqui neq; ulla patet uia qua à ſaluberrimo ad ægrotabiliſſimũ, uel è contrario, tranſire liceat, quum utrunq; (ut oſtendimus) ab ipſo generationis initio, non à tempore naturam huiuſcemodi adeptum ſit, quæ etiam ad finem uſq; uitæ perſeuerat. Vt uero medium eſt poſitu, ita naturam quoq; mediam ſortitum, ab utriuſq; extremi ratione ex æquo ſummouetur: unde fit, ut neq; bene temperatum & commoderatum, ſicuti ſalubre, neq; diſtemperatũ aut incommoderatũ ueluti ægrotabile, dici queat, ſed à media inter ſalubritatem & ægrotabilitatem qualitate denominetur: quæ quoniam proprium aliud nomẽ non habet, ideo neutralitas nuncupatur: ut propterea errauerit Druſianus, putans hoc corpus uel diſtemperatum eſſe uel incommoderatum. Si enim ita eſſet, iam ſub ægrotabilis ſimpliciter definitione caderet, ſicuti ſuprà eam declarando demonſtrauimus. Magis tamen errauit Gentilis, qualitatem hanc à qua corpus neutrum uocatur, præternaturalem eſſe

dicens, ſicuti & morbum: eſſéque medium per quod corpus neceſſariò incedit, dum à ſanitate in ægritudinem, uel è contrario mouetur. Nam præter id quod ſignificatione ſaniſſimi & ægerrimi (quæ pro ſalubertimo & ægrotabiliſſimo legebat) abutitur, Galeno quoq; aperte cõtradicit, neutra corpora intra ſanitatis latitudinem inferius (ut ſuo loco oſtendetur) comprehẽdenti.

GALENVS.

Et huius hoc quidẽ eſt ſimpliciter tale, quod ab ipſa generatione eſt tale cõſtitutum: hoc uero ut nunc, quod in præſenti tempore ſaluberrimi & ægrotabiliſſimi corporis exactè mediũ exiſtit.

MANARDVS.

Neutrum hoc corpus, ſicut & reliqua, per ſimpliciter & ut nunc diuidit: non diſſimiliq; reliquis modo, diuiſionis membra definit: ſimpliciter quidẽ neutrũ, per eſſe tale à principio generationis: neutrũ ut nunc, per eſſe tale præſenti tempore. Dictũ eſt enim ſuprà, in hoc omnia corpora ſimpliciter conuenire, quod ab ipſo exordio talia extitere: & in hoc à corporibus ut nunc diſferre, quod tametſi hæc generari talia poſſint, non tamen neceſſariò talia generantur. Putandum eſt igitur corpus hoc quod neutrum ſimpliciter dicitur, à naturali quadam potentia, quam ab originali initio acquirit, & quæ cum eo ad finem uſq; uitæ perſeuerat, tale nuncupari: quæ facit ut ſicut corpus ſimpliciter ſalubre, naturaliter aptum eſt omnibus morboſis cauſis repugnare: & corpus ſimpliciter ægrotabile, ab illis ſuperari: ita hoc medio modo ſe habeat, ut nõ reſiſtere, ut illud, nec uinci, ut hoc, ſit à natura ipſa diſpoſitum. Meritò igitur tale corpus abſolute et ſimpliciter neutrum uocatur, quum à natura talem qualitatem conſecutũ fuerit, per quam nec ſalubre nec ægrotabile, ſed exactè inter utrũq; ex-

tremum

tremum medium existens, ad neutrum deuergat. Contrà uero illud corpus, quod licet talem à natura dispositionem sortitũ non sit, ut absolute & simpliciter dici neutrum possit, aut inter saluberrimũ & ægrotabilissimum medium, sed à generatione sit salubre uel insalubre simpliciter productũ, in præsentia tamẽ & accidente quodam uere medium existit, neutrum ut nũc appellabit. Nam, quod suprà sæpe monuimus, uerba extra proprium significatum non sunt transferenda. Quod Gentilis etiam hoc loco peccauit, putans neutrum simpliciter non esse à natura, uel ab ipso ortu neutrum, sed à dispositione accidentaria & præter naturam, extra sanitatis latitudinem penitus existente: quæ dicatur talis à natura, quia fixius stabiliusq; corpori adhæreat, quàm illa à qua neutrum ut nũc corpus nominatur. Quomodo enim merebitur à generatione dici tale, si ex accidenti hoc habet, ut tale dicatur? Aut quomodo erit simpliciter tale dicendum, si non est ita uere tale, sicuti id quod nunc tale dicitur, ut ipsemet Gentilis affirmat? Qui tamen nec in hoc satis sibi constat, sed mutare sententiam cogitur, eum qui uerrucam à natiuitate habuit, à qua operationes non euidenter lædunt, neutrum simpliciter uocans. Sed uiderit ipse quo modo uerrucosus iste exactè in medio sanissimi & ægerrimi poni possit: & an neutrum, ut ipse uocat, cõualescendi uel decidendi sit, quum citò & curari ablata uerruca possit, & ad ægritudinem trahi, ea in tantum aucta, ut euidẽter operationes oblædat. Nos Gentilem mittentes, uerbisq; & sententiæ Galeni hærentes, illud esse neutrum ut nunc dicamus, quod quum à natura uere neutrum non sit, in præsentia tamen est neutrum, quia uidelicet casu aliquo in tantum proprios exiuit limites, ut medium iam id attigerit, in quo neutrũ simpliciter naturaliter collocatur.

GALENVS.

Ipsius autẽ simpliciter dicti, semper quidem

tale, eſt quod per omnes ætates ſimile perſeuerat: ut multũ autem, quod ſecundũ aliquid trãſmutatur.

MANARDVS.

Subintellecta neutrius ſimpliciter diuiſione, in ſemper, & ut multum, utrunq; definitur. Semper quidem neutrum, quod per omnes ætates ſimile perſeuerat. Vt multũ, quod aliquas ſuſcipit tranſmutationes. Verba ipſa ſatis per ſe clara: ſententia, pluſquam prædictarum aliqua, mihi uidetur ambigua. Primo enim ambigere contingit, quare nouo definiendi modo in his neutris eſt uſus. Salubre enim & inſalubre ſemper, nõ per durationem temporalem, ſed per cauſas à quibus fierent, definiuit, per optimam uidelicet, uel peſſimã temperaturam & commoderationem: ſalubre & inſalubre multum per exiguã ab illis diſtantiam. Vnde igitur iſta uarietas? Certe ſi quis recte conſideret, magnum medicinæ magiſtrũ, magna cum ratione ſic definiſſe cognoſcet. Nulla enim melior aut facilior patebat uia definiẽdi hoc neutrum, quàm per extrema, quorum reſpectu neutrũ dicitur, quæ etiam antea per ſuas cauſas fuerant declarata. Satis quoq; notum erat, ſi neutrum hoc corpus in medio ſaluberrimi & ægrotabiliſſimi congrue reponebatur, quod mediam quoq; naturam obtinebat. Qua definitione ceu utriq; neutro, tam ſcilicet ſemper, quàm ut multum, cõmuni, præſuppoſita, quum non amplius decens eſſet ea uti in definitione neutrius ſemper, & ut multũ, niſi addendo aliquid per quod ad ſpecies ttaheretur, duoq; tãtum eſſent in ratione neutrius ſemper, unũ uidelicet per quod neutrũ, aliud per quod ſemper diceretur, primumq; iam occupaſſet communis definitio, neceſſe fuit ad alterum recurrere, id eſt, ad particulam ſemper, quæ nihil aliud denotare hoc loco uidebatur, q̃ omnes ætates; quare non ab re neutrũ ſemper

definit,

definit, quod per omnes ætates ſimile perſeuerat. Qua definitione reddita, neutrum multũ, neutri ſemper oppoſitũ, oppoſitã quoq; definitionẽ requirebat: particulę etiã ut multũ, cuius ratione à neutro ſemper differebat, correſpondentẽ. Quare cõgrue dicit mutationes quaſdã ſuſcipere, nec uidelicet per omnes ætates, ut neutrũ ſemper, ſimile perſeuerare. Quod ſi ſalubre et inſalubre ſemper, quatenus ſemper talia dicuntur, hoc quoq; habent, ut per omnes ætates ſimilia perſeuerent, tamen non adeò plene per hoc eorũ natura explicaretur, ſicuti per optimum & peſſimũ fuit explicata. Neutrius uero ipſius natura per hoc quod medium inter illa ſtatutum fuerat, ſatis erat declarata: reſtabatq; ſolum declarandũ quare ex neutris ſimpliciter, hoc ſemper, illud multum diceretur. Sed dicet fortè quiſpiam, ſi, quemadmodum ſuperius dixiſti, ſimpliciter neutrum talem eſt à generatione qualitatem conſecutũ, ut mediam quandam habitudinem inter ſaluberrimũ & ægrotabiliſſimum poſſideat, quare non tandiu in neutro multum, ſicuti in neutro ſemper, qualitas illa et uis perſeuerauit? quando (ut in dialectica oſtẽditur) quicquid in ſuperioris generisq; ratione includit, idem quoq; in omnibus inferioribus ſpeciebusq; inuenitur: neutrumq; ſimpliciter neutri ſemper & ut multum comparatum, generis habet rationem. Dicemus, quod quum omnia iſta corpora quæ ſimpliciter dicũtur (ſicuti ſuperius oſtenſum eſt) ab ipſo generationis exordio, naturaq; id cõſecuta ſint, ut talia nũcupentur: id uero quod naturale eſt aliter non aſſueſcit, qualia nata ſunt talia & perſeuerãt: Quare neceſſe eſt ut uerbum illud, ſimile, in definitione neutrius ſemper poſitum, non naturæ ſimilitudinem repræſentet: alioqui à neutro multum non differret, quum propria natura etiam in ipſo neutro multum, ſimilis perſeueret: ſed apparentiam & euidentiam ipſius neutralitatis. In hoc enim differũt multũ talia, à ſemper talibus,

quod hæc uere & re ipsa talia sunt, illa apparenter tantum, exiguo tamẽ adeò interuallo, à talibus semper semota, ut uix discernantur. Quantum igitur ad propositum nostrum attinet, neutrum semper neutralitatem quam semel ostendit, semper eandẽ custodit, & demonstrat: unde meritò per omnes ætates simile dicitur perseuerare: quod non facit neutrum multum, quum processu ætatis contingat, ut quod prius præ exiguitate latebat, aliquando similitudine ætatis, uel alia ex causa auctum detegatur. Ex quo enim uere et exactissime neutrum non est, sicut neutrum semper, necesse est ut à mediocritate exactissima, quæ in illo reperitur, uersus aliquã partẽ declinet: quę si, uerbi gratia, sit uersus frigidũ, quando superuenerit ætas pariter frigida, uel alia causa ualentior ad infrigidandũ, iam hoc corpus quod antea uere indifferens ad sanitatẽ & morbũ uidebatur, aptius ad hunc quàm ad illam esse cognoscet. Et hoc est quod Galenus dixit, secundum aliquid transmutatur, uel (ut alia habet litera) nonnullas recipit mutationes. Verum quum hæc neutrius multum à uera mediocritate, hoc est à neutro semper, declinatio, bifariam intelligi possit, iuxta duo extrema inter quæ concluditur: sequitur ut duplex neutrum multum ponendum sit, unum ad saluberrimi, alterũ ad ægrotabilissimi latus inclinans. Quod etiã uidit Drusianus, in hoc, sicuti & in plerisq; alijs melius sentiens quàm Gentilis, qui omnem neutralitatem rem pręternaturalem putans, & uiam in ęgritudinem, inter quamlibet sanitatem & ęgritudinem quinq; imaginatus est neutralitates: duas ut nunc, alteram sanitati, alteram ægritudini proximam: tres simpliciter, unam quidem mediam, quam semper: duas à lateribus, quas ut multũ nominauit: ita ut recedẽti à sanitate primo imperfecta quædam occurrat neutralitas, quam ut nũc uocat, secũdo neutralitas ut multũ, tertio neutralitas semper, quarto alia neutralitas multum, ultimo neutralitas.

ut

ut nũc, proxime adiacens ægritudini. Quę opinio quãtum à cõmuni ſenſu abhorreat, uel ex hoc patet, quod corpus imperfectiſſimam ſanitatem habens, cogitur ſaniſſimum appellare: & facillimo morbo laborans, ægerrimum. Quantũ uero à Galeno abhorreat, inferius apparebit. Sed quî fieri poteſt, dicet quiſpiam, quod tria (ut dixiſti) ſint corpora ſimpliciter neutra, ſi recte definitum eſt, corpus ſimpliciter neutrum eſſe medium exactè: & ex tribus his neutris, tantum unum uere neutrum exiſtit, ſcilicet corpus neutrũ ſemper: aliorũ alterũ ad ſaluberrimum, reliquum ad ægrotabiliſſimum magis inclinat? Dicemus, corpus neutrum ſimpliciter dici in medio exactè, non quod præciſe ſit in puncto medio conſtitutum, ſed ſalubris & inſalubris multũ cõparatione, quæ & ipſa receſſerũt quidem ab exremis, & ut ſequẽs eſt, in medio exiſtunt: non tamen tantũ diſtant, ut uere & exactè medietatem attigerint. Vel dicamus neutralitatem (ut inferius apparebit) quum ſit pars latitudinis ſanitatis, latitudinẽ quoq; ſatis amplam habere: ex quo fit, ut quælibet eius pars in medio exactè ſtatui minime poſſit, licet tota ipſa neutralitas ut res una cõſiderata in medio uere exiſtat. Sicuti enim in linea ſeptem pedum, quartũ pedale exactè in medio conſiſtere dicemus, nec tamen quælibet eius pars in medio eſſe poteſt: ita de neutralitate hac ſimpliciter erit cõfitendum. Ex his demum ſequitur Vgonẽ in hoc melius ſenſiſſe quàm Iacobum, putantẽ omne neutrum multũ, ſalubri eſſe propinquius, quàm neutrum ſemper: à medio enim recedere uerſus utrunq; extremum contingit: et propterea corruunt quæcunq; quæſtione xvi. Iacobus ſuper malo fundamento ædificauit. Ideo illis omiſſis, Galenum ipſum audiamus de neutro ſecũdi ſignificati loquentẽ.

GALENVS.

Neutrum iuxta ſecundum ſignificatum corpus, eſt quod à generatione cõtrariorum ſimul

affectuum est particeps, uel in una parte, uel in duabus differentibus. In una quidem, ut si in altera effectiuarum qualitatum oppositione, bene fuerit temperatum: uel in utraq; etiam oppositione, sed in formatione: aut magnitudine, aut numero, positúue particularũ labatur: uel è contrario in his quidem recte habeat, uel omnibus, uel quibusdam, in temperatura deficiat. In differentibus autem partibus secundum omnes oppositiones particeps aliquid simul esse contrariorum potest.

MANARDVS.

Non solum id dici potest neutrum, quod utroq; extremorũ ita caret, ut neutrum includat, sed & id in quo utraq; extrema ita cõiunguntur, ut à neutro possit denominari: quod tametsi adeò exactam, ut primũ, non habeat neutralitatẽ, nomen tamẽ & ipsum neutrius possidet. Quod Galenus his uerbis definiens, quod à generatione contrariorum simul affectuum, id est, salubritatis & ægrotabilitatis est particeps, per hanc particulam à generatione definire se neutrum simpliciter monstrauit, quum ea hactenus in nullis corporibus, præterq; in simpliciter talibus usus fuerit. Ex quo etiam id datur intelligi quod superius diximus, ea uidelicet quæ simpliciter dicuntur talia, absolute & absque aliqua adiectione esse talia. Deinde quoniam non facile erat intelligere quo pacto in eodem simul poterãt habitare contraria, idem hoc quoq; Galen. declarauit: primo in eadẽ particula, secundo in diuersis. In eadem, ut si in una, uel etiam in utraq; oppositione primarum qualitatũ sit temperatum, in compositione incommoderatũ: uel contrà si compositio commoderata, temperatura sit distemperata. Primas autẽ quatuor qualitates uocauit effectiuas,

sicuti

ſicuti & alijs in locis conſueuit. Nec abſq; ratione, quoniam ab eis reliquæ fiunt, quæ ſecũdæ uocantur, & generationes corruptionesq; rerum perficiuntur: non ut Arabs putauit expoſitor, nimis in hac parte Ariſtotelicus, caliditatem ſolũmodo & frigiditatẽ, per formationẽ uero, poſitum, magnitudinem, & numerum, compoſitionem nobis uoluit intelligi. Sit igitur, exempli gratia, Socratis cerebrum in oppoſitione caliditatis ita temperatum, ut nec calidum nec frigidum dici poſſit: in ea uero quæ eſt inter humidũ & ſiccum, ita diſtemperatum, ut ſiccum tantum ualeat nuncupari: uel in utraq; oppoſitione ad ęque adeò diſpoſitũ, ut nec calor frigiditatem, nec humor ſuperet ſiccitatem: aut è contrario: ſed quatuor iſtæ qualitates ad æquilibrium omnino & certum concentum ſint deductæ, malam uero omnino habeat figurationem, tunc certe Socrates contrariorum ſimul affectuũ in eadem particula particeps eſſe dicetur, atq; ut ſequens eſt, ad neutrum ſecũdi ſignificati reducetur. In diuerſis autem particulis, omnes & temperaturæ & cõpoſitionis oppoſitiones inueniri poſſe, nemo eſt qui ambigat: quum quotidie uideamus multos hepate quidem eſſe ſalubres, capite morbidos & imbecilles: ſicuti & multos quæri uidemus, quod uentriculo frigeãt, hepate ſupra modũ ſint calido, reliquis membris ſatis exiſtentibus temperatis. Contrarios aũt affectus, extrema ipſa, ſalubritatem uidelicet & ægrotabilitatem intelligimus, non ut recentiores putarunt, uel medium cum altero extremorũ, uel ipſa inter ſe diuerſarũ rationum media: expoſitionẽ hanc noſtram non alia ratione quàm ipſiuſmet Galeni uerbis probantes, caput hoc ſic exordientis: Quoniam neutrum corpus tripliciter dictum eſt, hoc quidem quod neutrius extremorũ affectuum eſt particeps, hoc quia utrorunq; : illud quia interdum huius, interdũ illius, &c. Non me tamen latet quot machinas aduerſum me hac expoſitione commoueam, ſed

deo aſpirãte omnes auertere inferius ſperamus, ubi uerba Galeni expoſuerimus.

GALENVS.

Et id eſt ſemper tale, quod per omnes ætates ſimile perſeuerat: atq; id ut multũ, quod ſecundum aliquid tranſmutatur.

MANARDVS.

Ex his quæ in neutro primi ſignificati dicta ſunt, ea quæ hic dicuntur facile intelligi poſſunt. Id enim quod in hoc ſignificato eſt neutrum ſemper, ſi omnes ætates trãſegerit, ſimilem ſemper diſpoſitionem ſeruabit, qua particeps ſimul eſſe utriuſq; extremi cognoſcetur. Contrà uero id quod neutrũ multũ, ſecundũ aliquid tranſmutabitur: ex quo enim non adeò exactè eſt utriuſq; extremę diſpoſitionis particeps, ſicuti neutrum ſemper, ideo recedere aliquando ab uno extremo uidebitur, & ad aliud appropinquare: non quod naturam quam ab exordio ſortitum eſt amittat, tunc enim non ſecundum aliquid, ſed penitus & abſolute mutaret: ſed quod non ita exacte & certe neutrum ſicuti antea iudicabitur. Euenit autẽ hoc ei, uel quia ſalubris & ægrotabilis multum, non eorũ quę ſemper, erat particeps: uel quia non ex æquo extremorum particeps fuit, ſed alterutro magis participauit.

GALENVS.

Sic autem neutrum in eo quod nunc, iuxta ſecũdum ſignificatum, eſt corpus, aut quia in una particula nonnulla ſalubria, nonnulla morboſa habet, ex his quę ipſi inſunt, aut in partibus differentibus.

MANARDVS.

Neutrum ut nunc in hoc ſecundo ſignificato, eſt corpus in præſenti tempore, uel ex his quæ uni particulæ

inſunt.

insunt, aliqua salubria habens, aliqua morbosa: uel in diuersis particulis, ad modum uidelicet in neutro simpliciter declaratũ, à quo non aliter differt, nisi quod quæ illud habuit à generatione, hoc post generationem acquisiuit. Varijs enim ex causis potest cõtingere, ut particula quę à generatione fuit temperata, uel bonę compositionis, in contrarium habitum transmutetur. Quod quum ita fit, ut in una particula, gratia exempli, sit bonum temperamentum & mala figuratio, uel una particula sit decentem habens magnitudinẽ, alia præter modum aucta, nec deliquiũ tale est ut consuetę tollãtur operationes: corpus cui hęc insunt, neutrum ut nunc in secundo significato nominabitur. Nec necesse est addere ut Gentilis putauit, quod hęc affectio sit breui finitura. Sicuti enim nihil uetat, ut superius est demonstratum, ægritudinem ut nunc toto uitæ tempore perdurare, ita & hanc neutralitatẽ est possibile per totum uitæ decursum perseuerare.

GALENVS.

Iuxta tertium significatum neutrum est corpus quod quandoq; salubre, quandoq; morbosum in parte sit: quemadmodũ nonnullis contingit pueris quidem existẽtibus salubres fieri, iuuenibus aũt effectis morbosos: aut è cõtrario.

MANARDVS.

Tertius modus quo, licet minus proprie, corpus neutrum dicitur, est aliquorum qui in una uitæ parte salubres, in alia morbosi sunt, aut quia latentem quandã radicem intrinsecus gerũt, quæ suo tempore pullulat, aut quia ætas ipsa id coërcet, quo infirmiores reddebantur. Vidi ego nonnullos qui per totam pueritiam pulcherrimi erant, & saluberrimi uidebãtur, in ipso iuuentę flore miserrima tabe cõsumptos. Alios uidemus post mediam ætatem calculo uel podagra cruciatos, qui ante

illam ætatem maxima ſalubritate fruebantur. Contrà quoq; quamplures in pueritia fluctionibus, comitialibusq; morbis moleſtatos, creſcẽtibus annis in bonũ habitum perduci. Quos omnes ad hũc neutralitatis modũ pertinere dicimus, non quatenus aut ſanitate fruuntur aut morbo moleſtantur, ſed quia taliter affecti ſunt, ut aliquando robuſtiores, aliquando languidiores ſint, ſecundum quod latius inferius declarabimus.

GALENVS.

In uno autem tempore, id quod hoc pacto neutrum eſt, exacte quidem conſiſtere non contingit, ſecundum latitudinẽ uero contingit. Scimus autem quod nunc bifariam dicitur.

MANARDVS.

Dubitare quiſpiam poſſe uidebatur, quomodo poſſet corpus neutrum ut nunc, in hoc tertio modo reperiri, quum idem in eodem tempore eſſe ſalubre & morboſum non poſſit. Huic dubitationi Galen. occurrens ait, hoc neutrum in tempore exactè & uere uno, quod latitudine uidelicet & diuiſione penitus careat, eſſe minime poſſe: in uno uero tempore amplam ſatis latitudinem habẽte, poſſe cõſiſtere. Id enim quod appellamus nunc, dupliciter dicitur, ut ſcilicet non tantum ſignificet id quod eſt inſtans & momentaneum, ſed temporis exiguam quidem, certam tamen partem, aliquid amplitudinis habẽtem: ſub quo ſignificato nihil uetat hoc neutrũ ut nunc dici poſſe. Sed adhuc nobis ambiguum reliquit, an eandem quã alia corpora, hoc neutrũ ſuſcipiat diuiſionem, ut uidelicet aliud ſimpliciter, aliud ut nunc intelligatur, & illius aliud ſemper, aliud multum. Ex quo enim haſce diuiſiones in eo ſicut in cæteris non recẽſuit, carere illis uidetur exiſtimaſſe, præſertim quã uerba quę nuperrime expoſuimus, ad ſolum neutrum ut nunc uideantur pertinere, quod & nomen indicat, & deſi-

& definitio, qua ſemper in eo uſus eſt Galenus, tempus præſens continens. Sed & ratio ipſa oſtendere uidetur, neutrũ iſtud, ſimpliciter tale dici non poſſe: ſic enim oporteret, ut tale naſceretur, quod eſſe non poteſt, quum aut ſalubre aut morboſum naſci Galeni uerba oſtendant, dicẽtis quoſdã pueros exiſtẽtes eſſe ſalubres, alios morboſos, & è cõtrario. Pro contraria parte eſt ipſemet Galenus in principio, neutrũ & ſimpliciter dictum, & ut nunc, per tres hoſce modos diuidens. Ex quo ſequitur, ut de quolibet iſtorũ trium modorũ, duo illa, ſimpliciter, & ut nunc, prædicentur: ſemper enim id quod in plura diuidit̃, de quolibet ſe diuidentiũ prędicatur. Anceps igitur utrinq; eſt dubitatio, nobis præcipue, qui ueritatẽ græcæ lectionis ſequẽtes, non ſanũ & ægrũ, quod antiqua traductio, ſed ſalubre & morboſum legimus. Poteſt em̃ quis ab ortu talem naturã ſecũ ferre, ut in una ætate ſanus degat, in alia ægrotet: ſed quod à natura uel ſalubris uel morboſus quis ſit, & proceſſu ætatis in contrariũ demutetur, fieri nequaquam poteſt, niſi falſum ſit id quod ſuperius ſæpe diximus, qualitates ſcilicet haſce ſimpliciter dictas, ad tertium qualitatis genus pertinere, nec à ſubiecto aliqua ratione poſſe diuelli. Nos arbitri uice in hac lite fungentes, quod etiam Ariſtoteles quandoq; facit, dicemus utranq; partem aliquid habere ueritatis: non em̃ reperiri corpus à principio generationis uere ſalubre, quod in alia ætate uere morboſum fiat, aut è cõtrario: ſed quale quodq; naſcitur ſecũdum ueritatem, tale & tandem moritur, quantum uidelicet ad ſalubritatẽ inſalubritatẽ ue pertinet. Dicimus ex alia parte, eſſe aliqua corpora quæ in una ætate uident̃ ſalubria, in alia uerè morboſa: quæ ſi à generatione hoc habent, neutra ſimpliciter, ſi ab accidẽtali aliqua cauſa, ut diuerſa uictus ratione, uel ictu, aliáue re ſimili poſterius eueniente, ut nũc neutra in hoc tertio ſignificato uocabuntur. Iuxta quam reſponſionẽ dicendũ erit,

corpus hoc tertio modo ſimpliciter neutrũ, non ſecundum ueritatem, ſed ſecundum oſtenſionẽ & apparentiam tantum reperiri. Aliter poſſumus abſolute concedere, hæc neutra ſimpliciter imaginantes, ſicuti naſcitur quis cum naturali potentia ad ſanitatẽ, uel cum naturali impotentia per quam redditur morbis obnoxius; ita poſſe quempiam naſci cum alia qualitate, ad tertium ſimiliter qualitatis genus pertinente, quæ ipſum reddit in una ætate aptum, in alia ineptum ad ægritudines: dicemusq; conſequenter, quod pro ea ætate qua eſt ad ſanitatem diſpoſitus, licet nõ poſſit abſolute dici ſalubris, poteſt tamen dici ſalubris in illa ætate, nec magis impropprie, quàm corpus ſimpliciter inſalubre pro eo tempore quo ſanum exiſtit, diximus eſſe ut nunc ſalubre: pariterq; in ea ætate in qua promptus erit ad ęgrotãdum, inſalubre, pro ętate illa nuncupabitur. Quãcunq; uero duarum reſponſionum ſequamur, cõſentire nolumus Druſiano dicenti, omnia corpora intra ſanitatis latitudinem cõtenta, poſſe dici hoc modo ſimpliciter neutra. Sic enim omnia confundũtur, non minorisq; ambitus erit hoc neutrum, quàm ut nũc ſalubre. Corruet etiam tota Galeni machina, latitudinem ſanitatis in tres partes inferius diuidentis. Omnia quippe corpora in hanc ſolam recident partem. Sed & primus neutralitatis modus in hunc ipſum tertium referetur: quod & ipſemet Druſianus aperte cõcedit, non aduertens ex hoc ſequi, ut id quod nec eſt ſalubre, nec ægrotabile, ſit ſalubre & ægrotabile. Sed de his hoc loco ſatis. Expoſito enim huius tractatus reſiduo, nonnulla adhuc circa neutra diſputabimus.

GALENVS.

Quoties igitur ſalubre, ægrotabile et neutrũ corpus dicatur, & quale unumquodq; eſt, ſatis determinatum. De ſignis deinceps dicendum.

MANAR

MANARDVS.

Finem præcedēti tractationi Galenus faciens, dicendisq; dicta connectens, determinasse se ait, quot modis salubre & ęgrotabile & neutrū corpus dicatur, qualeq; singulum eorum sit: hoc enim se absoluturum ab initio receperat, ueluti artificiale simul & sufficiens. Nec de omnibus locuturum, uel de quibuldam tantum: quoniam impossibile illud esset, hoc deficiens, artificioq; carens.

Poteram finem huic tractatui cum Galeno fecisse, nisi multæ me expositorum digladiationes remorarentur, quas cōniuentibus oculis pertransiuisse, uitio nobis daretur, alioqui sponsione propria deuinctis. Liberum autem sit ad utiliora properantibus, pedem hic sistere, quasiq; per saltum ad reliqua currere.

Primo dubitatur, undenam habet aliquod corpus, ut proprie neutrū sit: hoc est, quæ est propria differentia neutrum cōstituens, & quæ nulli adest quod non sit neutrum, nec ab aliquo abest quod est neutrum. Et ut breuibus respondeamus, dicemus communem recentiorum esse sententiam, quod insensibiliter lædi sit ratio & causa qua aliquod est neutrū, cuiuscunq; modi neutrum sit. Quæ sententia quantum abhorreat à Galeno patebit inferius, ubi disposita sanitatis latitudine cuncta esse sensu dijudicanda docebit. Sed et quomodo potest tanta latitudo quanta est neutralitas, quæ est medietas latitudinis comprehendentis omnia sana corpora, sensus effugere? Alioqui si utrinq; latitudo insensibilis est, tota etiam latitudo uidebitur insensibilis: nam quod ex duobus insensibilibus, illud quoq; uidetur insensibile: sicuti quod & ex indiuisibilibus, cōstat esse indiuisibile. Nónne etiam quotidie uidemus multos, affectione quę neutralitas dicitur molestatos, ad nos cōcurrere lamentantes? quod profecto non facerēt, nisi male se affectos sentirent: sed & plerūq; ipsis tacentibus, eorū dispositio

oculis ſpectantium ſe demonſtrat. Dicamus igitur rationem neutrius in negatione potius quàm in affirmatione conſiſtere, quum nihil aliud ſit neutrũ, quàm nec alterũ, uel nec utrum, hoc eſt, à duobus extremis diuerſum: ita ut (quantum ad hoc negociũ attinet) nihil aliud ſit neutrum, quàm id quod nec eſt ſalubre nec ægrotabile, de genere tamen eſt eorum quæ talia eſſe poſſunt. Quod quum aliter eſſe non poſſit, niſi quia uel tertiam quandam rem dicit, uel quia ex utroq; æque componitur, hocq; ſecundum bifariã tantum poſſit intelligi, quo ad diuerſas ſcilicet uel corporis, uel temporis partes: ſequitur neceſſariò, ut tantũmodo tres ſint neutrius modi, ſicuti etiam ſuperius demonſtrauimus. Sed ſtatim alia dubitatio inſurgit, quia non omnia neutra uidentur ſub aliquo iſtorum modorum contineri. Vbi enim quis temperatura ſit ſimpliciter ſalubris, cõpoſitione neuter in primo ſignificato, uel è cõtrario, uidetur quidem neutrum eſſe, quia non ægrotabilis, quum à ſalubri ſimpliciter non tantum ceciderit, ut ad incommoderationem peruenerit: nec ſalubris, quia compoſitionis caret perfectione: nec tamen eſt ſub aliquo trium modorum comprehẽſus, ut ſingulos diſcurrenti facile patebit. Similiter ſit quiſpiam ſalubris ſimpliciter ſemper in temperatura, ut multum in cõpoſitione, non uidetur alibi q̃ ſub neutro poſſe reponi: non enim eſt ęgrotabilis ut patet, nec ſalubris ſimpliciter, quia nec ſemper, nec ut multũ, quũ utrũq; pariter includat: relinquit ergo ut ſit neuter, nec ſub aliquo trium modorũ reponendus. His et ſimilibus moti nõnulli, imaginarias haſce omnes cõplicationes, ſiue ex extremis, ſiue ex medijs, ſiue ex utriſq; conſiſtant, ad ſecundũ neutralitatis modũ putãt pertinere, uim ipſam uocis neutrius, Galeniq; ſuper eo ubiq; uerba negligentes. Quid enim in medicinæ definitione, qua dicitur eſſe ſcientia ſalubrium, ægrotabilium, et neutrorum, poteſt hæc uox neutrorum denotare, niſi ſalubris,

& inſalu-

& insalubris negationem? Quid etiam aliud intellexit Galenus quum dixit, hoc quidem dici neutrum, quia utriusq; cõtrariorũ est particeps, nisi extrema ipsa, salubre uidelicet et ęgrotabile? Aut quid aliud uoluit paulò antea per utranq; extremam dispositionem, cuius particeps esse dixit neutrũ secundi significati? Nemo certe, nisi qui peruerso omnino ob consuetudinem malam sit iudicio, intelligere potest neutrũ in secundo significato, nisi illud quod salubris & ægrotabilis eodem tempore est particeps. Si quod autẽ uel sit, uel quisquam esse imaginetur corpus, temperatura semper, compositione ut multum salubre, non certe neutrum, sed salubre multum erit dicendum, quoniam à salubri semper parum abest. Si uero salubre simpliciter in altera naturarum, cum neutro in reliqua cõiungatur, si neutralitas sit primi modi, neutrum primo modo erit, quoniam nec salubre erit nec ægrotabile. Si secũdi, in secũdo modo: quoniam in eodem tempore contrariorum affectuum, qui in neutralitate quam habere supponitur, includuntur, particeps. Si tertij, in tertio: quoniam quãdoq; salubre, quandoq; erit ægrotabile. At si cui neutrius modo insalubritas simpliciter coniungatur, corpus hoc absq; dubio simpliciter ægrotabile dicendum erit, quoniam aut distemperatum in similaribus, aut in instrumẽtarijs erit incommoderatum. Si quid uero parte quidem semper, parte multũ fuerit insalubre, insalubre ut multum erit iudicandum: nisi talibus partibus distemperatissimum incommoderatissimumq; existat, quæ totum ualeant ægrotabile semper efficere, quemadmodum in definitionibus eorũ suprà declarauimus. Quæcunq; demum affectionum talium ad se inuicem commixtio intelligatur, attendendum semper, an corpus quod in controuersiã uenit, extremam secum salubritatem & ægrotabilitatẽ includat, uel excludat. Si utrãq; excludat, absq; dubio ad primũ modum pertinet: si includit, uel eodem

tempore, & ad ſecundum modum: uel diuerſis tempo ribus, & ſic ad tertiũ pertinebit. Nulla enim certior uia eſt ad cognoſcendũ quid res ſit, quàm definitio, qua ſicuti metalla herculeo lapide, ita rerum eſſentia examinatur. Sileant ergo qui omnes qualeſquales ſint complicationes ad ſecundũ neutralitatis modum referre conãtur, ſcientes nihil ad ipſum pertinere, quod extreme contrariorum affectionum non ſit particeps. Non minus quoq; errant qui putant idem ſimul poſſe in primo & ſecundo ſignificato neutrum eſſe. Quomodo enim fieri poteſt, ut idem eodem tempore, utriuſq; ſimul extremæ affectionis & neutrius ſit particeps?

Rurſus dubitatur, quomodo neutrũ ſecundi ſignificati, ab ægrotabili ſimpliciter cognoſcat. Corpus enim partibus nonnullis bene, nonnullis male temperatum, uel incõcinne cõpoſitũ, ab utriuſq; definitione uidetur comprehendi. Quod ſi quiſpiam dixerit, Si plures ſunt partes male affectæ quàm bene, ad ægrotabile: ſi è contrario, uel æquales, ad neutrum pertinere: hic contra ſe Galeni in duobus locis teſtimoniũ habebit. Primus eſt prope libri initiũ, ubi duos modos neutrius ſecundi ſignificati facit: unum quod æque, aliud quod inæque contrariorum eſt particeps. Secũdus locus eſt definitio ægrotabilis ſemper, ex qua cõſtat quarũdã particularũ, etiã non principaliũ, diſcrepantiã, uel immoderationẽ corpus reddere ſimpliciter ægrotabile. Aduertendum ergo corpus eſſe ægrotabile non poſſe, niſi non recte affectę particulę, probe affectas aliquo modo ſuperent, aut uidelicet numero, aut poteſtate, tantoq; exceſſu, ut corpus reddatur morbis obnoxium. Si qua uero æqualitas participationis contrariorum in neutro reperitur, ea non eiuſmodi eſt, ut ad alterum extremorum ipſum poſſit extrahere. Quotieſcũq; ergo aliquod corpus ſub examen cadit, in cuius membris diſtẽperãtia uel incommoderatio ſit, conſiderandum an omnia, uel quædam

membra

membra male affecta ſint: & ſi quędam, an principaliſſima: ſi omnia aut principaliſſima, abſq; dubio ægrotabile eſt: ſi quædam, nec principalia, conſiderandum an tot ſint, uel tanti momẽti in corpore, uel tam uehementer affecta, ut corpus uniuerſum poſſint denominare, uel non. Si primum, ægrotabile: ſi ſecundum, neutrum dicetur. Et de neutris quidem atq; demum de uniuerſis corporibus tot ſint dicta. Iam enim ad ſigna cum Galeno properandum.

Et hæc hactenus.

BASILEAE
apud Ioannem Bebelium,
1536.

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DUSSELDORF

Ita comparatū est, vt aliena aut nostra, quorū nobis deleta memoria est, perspicacius perlustremus quàm aut nostra, aut nō ita pridem nobis nata.